1. Drejeri J. Chr. / diss. de Conver-
sione Judæorum, Regiomonti
1691.
2. Eckstein / Gottlieb / Summi Dei
Magnatissimum, ex Genes. III.
v. 22. contra Judæos, Wittenbergæ
1683.
3. Edzardi / Sebast. / diss. ex Philo-
logia Hebraica, Wittenbergæ
1695.

4. —— diss. utrum Nomen Elohim a profano Camanæorum Errore Originem ducat. Wittembergæ, 1696.

5. Engelcken (: Hermann Christoph :) diss. exhibens Psalmorum CXLV. CIII. CXLIX. aliorumq; a Coruptelis Vindicationem Rostochy 1712.

6. —— diss. de Expulsione Principis Mundi, Joh. XII. v. 31. Rostochy, 1720

7. —— diss. Pentadem Dictorum Scripturæ Vet. Testam: a manifesta perversione vindicatorum, Rostochy 1720.

8 Erdmann (: Joh. Henr. :) diss. II. de אשם sive Sacrificio piaculari pro Noxa offerendo, Wittembergæ 1717.

9. —— diss. III. de אשם. Wittembergæ 1717.

10. Fechty (: Joh. :) diss. de Generatione Messiæ æterna Psalmo II. v. 7. consignata, Rostochi, 1707.

11 —— Expositio D. Judæ Epistolæ catholicæ, in qua Certaminis Fidei adversus Impietatem Ideo reprehensa Rostochi 1715.

12. Fechtij (Joh.) diss. de Ambitione Officij Ecclesiastici, Rostochy, 1715.

13 —— diss. de Christo in nobis. Rostochy 1715.

14. —— volumen volans: der fliegende Brief, ex Zachar. C. V. vers. 1=4. Rostochy, 1708.

15. —— diss. de Christiani Corporis sui Cura, Rostochy 1708.

16. —— diss. de Clave ligante et Solvente, Rostochy, 1711.

17. —— diss. de Testamentis divinis. Rostochy, 1705.

18. —— diss. de Veritate in Injustitia detenta, Rostochy 1710.

19. Foerstij (Mich.) ~~diss. ad verba~~ Commentatio ad verba foederalia Lucae XX. vers. 37. 38. jenae, 1715.

20 —— diss. qua instituitur oeconomia Evangelica Nov. Testam. cum Henr. Hammono et joh. Clerico ad Rom. 8. vers. 17. jenae 1718.

21. Frischmuth (: Joh. :) diss. de Loco Deut: XVII v. 8 et seq. an Ebrei statuant: Idem simul posse esse et non esse. jenæ, 1658.

22. —— diss. qua ostenditur non Sacrificiorum Leiturgia, sed unica illa Messiæ, pro Reatu se tradentis, Hostia placari. ex psalmo XL. v. 7. jenæ 1672.

23. —— diss. de Seductione Serpentis antiqui, jenæ 1675.

24. —— diss. de Messia Dei Filio, jenæ, 1676.

25. —— diss. de Reverentia Filio Dei Messiæ præstanda, jenæ, 1676.

26. —— diss. de Eliæ Prophetæ Nomine et prosapia. jenæ, 1683.

27. Frommen (: Valent. :) diss. de Quæstione an inter Lutheranos et Reformatos Concordia Ecclesiastica sanciri possit? Brandenburgi 1666.

28. Gebhardi (Brand. Henr.) diss. de Gog et Magog. Gryphiswal. Die 1719

29. ——— diss. de Beelgebub. Gryphiswaldiae, 1719.

30. ——— diss. de Vulpibus Simsonaeis, ex jud. XV. v. 4. Gryphiswaldiae, 1718.

31. ——— diss. de Orebhim Eliae Nutritoribus, Gryphiswaldiae 1719.

בשש

DISSERTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA,
Exhibens
PSALMORUM CXLV, CIII, CXLIX, ALIORUMQVE
A
CORRUPTELIS VINDICATIONEM NOVÆQVE POESEOS HEBRAICÆ CONSIDERATIONEM
CONTRA RECENTISSIMOS JAC. CAPPELLI CONATUS,
QVAM
ANNUENTE DEO O. M, ET INDULGENTE MAGNIFICO,
THEOLOGORUM ORDINE,
SUB PRÆSIDIO
VIRI EXCELLENTISSIMI, SUMMEQVE VENERABILIS,
DN. HERMAN. CHRISTOPHORI Engelcken/
PHILOS. ET SS. THEOLOG. DOCT. LONGE CELEBERRIMI, ET AD ÆDEM JOHANNIS PASTORIS VIGILANTISSIMI,
DOMINI PRÆCEPTORIS, PATRONI, AC OLIM HOSPITIS SUI DESIDERATISSIMI,
ET QVOVIS FILIALI PIETATIS CULTU ÆTERNUM DEVENERANDI,
IN ILLUSTRIS ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS ACROATERIO MAXIMO, HORIS ORDINARIIS,
AN. M DCCXII. DIE 2. MARTII,
PUBLICÆ PLACIDÆQVE ERUDITORUM CENSURÆ
SUBMITTIT

GEORG. ERNEST. Schultze/
CUPPENDINENSIS MEGAPOLITANUS.

ROSTOCHII, Typis Joh. Weppl. SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

בשהקבדית

JNGRESSUS.

Ibrum Psalmorum qvi *Pandectarum sacrarum* nomine insignire gestit, â justa veritatis semita haudqvaqvam abludit. Si enim intellectum tuum insigni credendorum copia instruere, aut agendorum farragine exsatiare intendis, inanem te ac vacuum abire Psalmista non sinet. Non possumus itaqve, quin cane pejus atqve angve detestemur infrunitam plane audaciam, qva cœci *Pontificis adulatores* totum Psalterium ad invocationē B. Virginis mira transformarunt metamorphosi, cunctaq; qvæ de summo Numine David ovante prædicatore, Mariæ abortâ tribuerunt gula. Miraberis, si legere contigerit *Psalterium Mariæ à Doctore Bonaventura* (uti quidem titulus Libri habet) compilatum, & criminis idololatriæ Pontificios statim insimulabis. En specimen *ex Psalmo VII* desumptum!, qvem ita efferre haud verentur: *Domine in te speravi, de inimicis meis libera animam meam &c. Psalmus decimus* hisce gaudet juxta *Psalterium Marianum* verbis initialibus: *In Dominâ confido propter dulcedinem misericordiæ nominis sui. Oculi ejus in pauperem respiciunt &c. Psalmus undecimus* impium exhibet frontispicium: *Usqvequo Domine oblivisceris mei, & non liberas me in die tribulationis meæ* &c. Qvid est, cultum, soli Deo debitum, ad infirmam transferre creaturam, si hoc non est? Licet verò nonnullos ex cordatioribus Pontificiis pessimi illius pudeat Psalterii; Attamen iterata sæpius editio (cum quoque Jngolstadii An. 1593. novum prodierit exemplar. vid. *Act Schwalbac p. 33.*) satis loquitur, maximam Pontificiorum turbam de impio suo Psalterio gloriari. Conf. B. *Chemnitii Examen Concil. Tridentini Part. III. p. m.* 827. ed Francof. An. 1707. Nec minus pudendæ Mariolatriæ notam incurrunt Pontificii per canticum aliquod sacrum, à *Casimiro* compositum. vid. *B. Carpzov.* Leichensprüche *Tom. IV. p. m.* 841. *sq.* Alio modo superstitiosi Verpi Pandectis nostris sacris vim inferunt. Sic impressus est Venetiis ann. 1571. Tract. sub tit: שמוש תהלים *Usus Psalmorum*, qvo ostenditur usus magis qvam superstitiosus Psalmorum,

& vis

& vis adversus morbos, vulnera, aliaqve pericula, si certis recitentur vicibus, aut mundo inscripti pergameno de collo gestentur, addito nomine Angeli specialis, qvi artificio Cabbalistico ex Psalmo exsculpitur, & certis precibus, ad istum Angelum directis. Ita v.g. Psalmus Primus in pergameno consignatus, cum nomine Angeli אלחד *Elchad*, abortum mulierum impedit. Pariter *Psalmus CXLVI.* immunitatem â vulneribus gladii largitur. Vid. *Buxtorff. Biblioth. Rabbin. p. m. 142. & Sauberti Palastram p. m. 55.* Parum ab hac Judæorum insania abludunt (quod ὡς ἐν παρόδῳ saltem notare volupe est) superstitiosi in Papatu, Caput I. Johannis, minutissimis literarum apicibus descriptum è collo suspensum gestantes, hâc fini, ut virtute horum characterum fugentur Dæmones, sanentur morbi, arceantur fulmina, id quod justa notat censura *B. Joh. Gerhardus Loc. de Evang. LL. CC. Tom. III. §. 48. p. m. 236.* Geminum abusum *Psalmi XXXIV v. 9.* in scenam producit *B. Geierus in Comment. in Psalm. col. m. 560.*, dum verba citati Psalmi: *Gustate & videte, quam bonus sit Dominus!* doliis inscripta, prohibere dicuntur, ne vinum degeneret in mappam. Et qvis nescit, *Psalmo* CIX. ita abuti pessimos impietatis Magistros, ut quotidiana ejusdem per integrum annum recitatione, proximi sui, pro hoste habiti, funestam accelerare mortem velis contendant remisqve. vid. Maximè Venerabilis *D D. Joh. Andr. Schmidii disp. de Abusu Psalmi CIX. imprecatorii*, vulgò Vom Todt-Beten §. IX. *sqq. p. 14. sqq.* Alia adhuc methodo alia novaturientia ingenia divinos sollicitare cœperunt Psalmos, arcanos, nescio qvos, sensus exsculpendo, inconditas, nescio qvas, expositiones excogitando. Sic otiosos ingenii lusus, non veram Spiritus S. mentem detexit Judæus Berolinensis, ex psalmo XXI certissimum de glorioßissimi Regis Borussiæ coronatione vaticinium cabbalistico exstructurus artificio, in scripto: Die geheime Offenbahrung des Königl. Propheten/ welcher in seinem 21. Psalm die Preußische Krönung verkündiget/ entdecket von *Simon Wolff Brandes*, Schutz-Juden in Berlin. Enim verò clementissimo invictissimi hujus Regis mandato, vanitatem istiusmodi artificii judaici in apricum deduxit *Dn. Dan. Ernest. Jablonski* in Bedencken/ und hiedurch veranlasseten zufälligen Gedancken über das Jüdische *Scriptum. Conf. Celeberr. Autores* der unschuldigen Nachrichten *An 1701. p. m. 168. sqq.* Improbi autem, atqve jure â christiano homine alieni conatus personati *Christiani Theophili* vel lippis innotuerunt, ac tonsoribus. Is enim in *Epitha-*

lamio

lamio Salomonæo egregium Psalmum XLV inauditis planè technis detorqvere, pervertere, adulterare ausus est. Complectitur memoratus Psalmus procul dubio sanctissimum Christi Epithalamium, indice infallibili Apostolo *Ebr.* I. 8. Sed dictus modò Autor ita omnia corrumpere didicit, ut nil nisi carmen amatorium, magnificis & Regis Pharaonis, & Reginæ, Filiæ Pharaonis, encomiis, dicatum, oculis tuis obversari videas. Justo hinc Zelo horrendum hocce monstrum gladio veritatis jugulare anhelarunt D. *Polycarp. Lyserus in Epistola Exegetico-Apologetica in Psal. XLV, & Joh. Christophilus* in der Warnung vor C. Theophili Erklärung des 45. Psalms. Pariter *Psalmum LXXXVII. ab impia παρεμβολῇ Christoph. Seebachii*, Diabolorum Patroni, vindicavit *DD. Henr. Georg. Neussius* in der Wiederlegung des ertichteten ewigen Evangelii *Part.* III. *cap.* 2. *p. m.* 345. Qvia verò rejectum fuerat *Seebachii* Scriptum: Erklärung des 87. Psalms; hic ipse se vindicare studuit in der Rettung der Erklärung des 87. Psalms. Et annon ridendos se propinant Alchymistarum nonnulli, ex *Psalmo* CXXVI. 5. lapidem Philosophorum probaturi, h. m. *Qvi seminat in lacrymis in exultatione metet. Scilicet invenient is lapidem Philosophorum, & insigni auri copia ditescet*, uti scribit *D. Gvil. Saldenus in Otiis Theolog. Exercit.* IIX. *p. m.* 183. Sicco jam præterire lubet socco, qvam impertinenter dicta varia Davidica celebrationi Regis Galliæ ac Ducis Vindocinensis (de Vendôme) à Gallorum cohorte fuerint dicata, cum otium nobis fecerit Dn. *Seb. Gottfrid. Starkius in Diss. cui tit. Commentatio in Loca qvædam Psalmorum Davidis, malè nuper à Gallis adhibita in laudem Regis sui, & Ducis Vindocinensis.* Promptam, hæcce præludii instar præmittendi, occasionem mihi subministravit *Jac. Cappellus per suos Conatus ad Psalmum CXLV. pauculosq; alios, qvos Joh. Clericus Bibliotheque Choisie Tom.* XIII. *p.* 288. *sqq.* publica donavit luce. Allegatus enim *Cappellus*, Parentis insistens vestigiis, nihil relinqvit intentatum, ut metri precarii causa, corruptionem fontium, à Parente toties, totiesqve propositam, denuò propinet, eamqve incautis rerum arbitris persvadeat. Et ut eò felicius proposito potiatur scopo, nonnullæ Psalmorum loca, dictatoria qvasi autoritate, castrare, & pro lubitu immutare nullus dubitat. Dum itaqve sanctissimi Psalmorum Codicis vindicias, insimulqve breve ipsius novæ Poëseos scrutinium moliri volupe est, Te, ô sanctissime Veritatis Spiritus! indefessis fatigo precibus, velis mentem manumqve in omnem ducere veritatem. Amen!

PROGRESSUS.

§. I.

ILlustre *Cappellorum* nomen neminem, nisi qui hospes planè est in omni politiori literatura, latere potest. Imprimis singularem sibi famam eruditissimis, attentum tamen nonnunquam Lectorem requirentibus, ingenii monumentis conciliavit *Lud. Cappellus*, Hebraicæ Linguæ & Theol. Prof. Publ. in Academia Salmurienſi, qui An. Christi 1658. vitam cum morte commutavit, relicto in professione Linguæ Hebreæ Filio, JACOBO, tunc novendecim annorum Juvene, sed qui ob religionem reformatam, Galliæ, simulque functioni suæ valedicere coactus, Angliam petiit, ac Patris Patruique Scripta posthuma luci exposuit, Amstelod. An. 1689. fol. vid. Reverendiss. Dn. D. *Joh. Frid. Mayeri Biblioth. Biblic. p. m.* 101. sq. ed. an. 1709. & *Lipsienses in Actis Erudit. an.* 1689. *m. Aug. p. m.* 412. Accuratam nominis Cappelliani notitiam instillabunt ipse *Lud. Cappellus in Commentar. de Gente Cappellorum*, Opp. posthumis Lud. & Jac. Cappellorum, præmisso, *Lipsienses l. c. p. m.* 411. *sq.* & Allgemeines *Historisches Lexicon P. I. p.* 519. *b.*

§. II. Sicut verò Celeberr. *Ludov. Cappellus*, novitatis quasi quodam vestro percitus, purissimos Ebræi codicis fontes turbare nullus dubitavit; Ita paternæ indolis ex asse hæredem nactus est Filium, *Jac. Cappellum.* Parens nempè modò memoratus anxiè desudavit atq; elaboravit in temerario, *cui Criticæ S. S. de Variis, quæ in sacris V. T. Libris occurrunt, lectionibus*, Scripto, quod An. 1650. Parisiis publicatum est in Fol. I. obstetricante Filio, ad Pontificiam religionem discedente, *Joh. Cappello*, cum Protestantes libri pestilentis editionem constanter impedirent, testibus *Richard. Simonio in præfat. historiæ Critic. Vet. Test. & Morino in Epistol. ad Barberinum, Antiquit. Oriental. p.* 599 *sqq.* Reliqua ipsius opera, quibus idem nonnunquam venenum continetur, sicco prætereo pede, recensita à prælaudato DN. D. *Mayero l. c. p.* 102. *sqq.* Scopus itaque Criticæ Cappellianæ huc redit, ut propugnet, à Codice nostro Hebræo primigenium ubique Textum minimè exprimi, emendatione hinc opus esse hodierni nostri Textus, instituenda ex versionibus antiquissimis, interdum quoque,

si Diis

si Diis placet, ex conjecturis. Audiamus *Criticum in Critica p. 611.*: *Etsi ostendi posset, sensum, qui ex codicis nostri hodierni Masorethici punctatione oritur, rarissimè esse meliorem, & convenientiorem, quid indè metuendum, aut quid periculi, modò melior & convenientior ex aliis codicibus, aut verò interdum ex conjectura proferatur.* Ne autem omnium se primore statim obtutu exponeret odio, non corruptionem Textus Hebraici, sed varias saltem lectiones dari causatur, ex quarum numero, ad instar Criticorum profanorum, optimæ seligendæ, & ubi illæ in Codice nostro hodierno desiderantur, supplendæ ac restituendæ sint, expunctis consuetis nostris lectionibus. Nihilominus tamen ingenuè confitetur, in locis nonnullis minoris momenti Scripturæ S. textum originalem, & quoad singulos Codices, & quoad singulas versiones corruptum esse, ac depravatum, quo in casu ex meris conjecturis mutationem textus suscipiendam esse docet. Vid. omninò Celeberr. DNN. *Autores* der Unschuldigen Nachrichten *An. 1706. p. 304. sqq.* Enim verò quis non subscriberet exascitato B. *Geieri* judicio, *in Comment. in Proverb. XIV. 33. p. m. 734*, his concepto verbis: *Sanè vix majori tractat reverentia sacrum codicem in toto hocce libro suo, quam vel Ciceronem, Virgilium, aut Plautum.* Quis non accederet B. *Pfeiffero in Critic. S. p. m. 105* scribenti: *Variis modis & mediis hodiernum Textum Ebræum in corruptionis suspicionem adducere, atque pro sua libidine emendare satagit, neque aliter tractat Libros sacros, atque Critici profani tractare, & corrigere solent suos libros profanos.* Quis non assentiretur Max Rev. *DD. Val. Ern. Løschero de Causis Linguæ Ebræa p. m. 445*: *Nullum est dubium, qvin Cappelliana Critice ad Garamantas sit releganda, cujus nervi & artus hi sunt, veram Codicis sacri lectionem aliundè, & maximam partem ex suspicionibus esse qværendam.* Ceterum gratulatur sibi meritò veritas dextrum veritatis contra Cappellianos conatq; Assertorē ac Vindicē, *Joh. Buxtorff*, quippe qui doctissimum verèque aureum opus, cui tit. fecit: *Anti-Critica* sive *Vindicia Veritatis Ebraicæ an. 1653. Cappello* opponere studuit. Conf. B. *Carpzov. Colleg. Rabbin. Biblic. in Libell. Ruth. Disp. I. pralimin. §. XII. p. m. 91*, & ipsum *Buxtorff. in Anti-Critic. P. I. cap. I. p. 8. sqq.* Subjungere placet Celeb. DN. D. *Mayeri* verba in *Bibliothec. Bibl. p. 108.*: *Hanc* (Criticam Cappelli) *priusqvam vulgaretur, & non nisi manu exaratam evolvisset, aut tantum ab aliis ex eadem relata accepisset, doctissimo*

simo Anti-Critica opere refellendam sibi sumsit Joh: Buxtorffius, Filius, etsi textus omnes, de quibus agit Cappellus, per integros triginta annos huic operi suo insudans, nequaquam excusserit, sed eximios duntaxat nonnullos attigerit, ut ex illis de reliqua variarum lectionum farragine à Capello collecta, & in immensum præter rem multiplicata, Lector simile ferret judicium. Proftant præterea *Jac. Usserii*, & *Arnoldi Bootii Epistolæ*, Cappelli Criticam infestantes, cum qvibus confer. B. *Aug. Pfeifferi Critic.* S. *p m.* 103. *sq.* Utut itaqve *Ludov. Cappellus* nullam non in emendandis Scripturæ locis, haud emendandis, insumeret operam; Attamen *Francisco Gomaro*, de inventa exactæ Poëseos hebraicæ ratione multum glorianti, pollicem premere Noster detrectavit, adeò ut novum inventum throno planè movere adniteretur. Famigeratissimus nempe *Gomarus*, primum Leidæ, dein Gröningæ Theologiæ Professor an. 1637. enixus est librum, sub tit: *Lyra Davidica*, qvi habetur *Opp. Part.* II. *p.* 313. *sqq.* Hic artem Hebræorum poëticam ad Horatiana, similiaqve metra exigere laboravit, versus Jambicos, Choriambicos, aliosqve crepare occepit, atqve uno verbo demersam haetenus veterem Hebræorum poësin è profundo qvasi puteo extraxisse se causatus est. At enim verò actutum *Gomarum* acutissimis telis petiit *Lud. Cappellus in Animadversionibus ad Librum*, cui tit. est: *Nova Davidis Lyrâ*, an. 1643., adjectis postmodùm *Critica S. p.* 651. *sqv.*, haud absq; causa ostendens, totum *Gomari* artificium haud firmo stare tibicine, scribensqve *p.* 50: *Juxta hanc resolvendi & dinumerandi viam atqve rationem, nihil non erit versus. Omnia invenientur carmine scripta, etiam Epistolæ Ciceronis, & Demosthenis Orationes &c.* Ceterum de incomparabili *Gomari* industria hæc memoriæ produntur in dem allgemeinen Historischen *Lexico P.* II. *p.* 260. 4 In solchem Amte (Professionis Theologicæ) soll er so fleißig gewesen seyn/ daß man in 22. Jahren nur 2. mahl seiner im Auditorio gemisset hat/ einmahl/ als er an. 1618. nach Dordrecht der Arianischen Controversien halber abgefertiget/ und zum andern mahle/ als er nacher Leyden zu übersehung des übersetzten alten Testaments gefodert wurde; qvæ obiter dicta sunto!

§. III. Pedem jam promoveamus necesse est ad Filii, *Jacobi Cappelli*, sentiendi credendique pruritum. Is secutus Parentem, viam haud feliciter præmunientem, nescio quid non in plurimis Psalmi

CXLV.

CXLV. versibus, inque variis aliis Psalmorum locis desideret, quid non immutari, quid non corrigi, quid non ad vivum resecari velit, jubeatque, Ipse quasi re benè gesta de infelici Parentis imitatione sibi gratulatur, erumpens apud *Clericum Bibl. choisie T. 13. p. 295.*: *Detur mihi venia, si Parentis mei Critica sacra obscuram, inutilem, sæpè quoque noxiam religionem animo meo minimè indiderit, sed homine christiano, & rerum sacrarum amante dignam libertatem.* Deum immortalem! si codicem sacrum pro solo & infrunito beneplacito truncare atqve supplere nuncupari meretur Libertas homine christiano, & sacrarum rerum amante digna, sanè is optimè de verbo salutis merebitur, qvi libertate hacce usus, demit, qvicqvid displicet, assuit, quicqvid placet. An sic sacræ literæ manebunt δυναμένα σοφίσαι εἰς σωτηρίαν 2. *Tim. III.* 15. Minimè! Quilibet enim hæreticus portentosa sua monstra ex Scriptura à se correctâ, dextrè comprobabit, atque sic non ad salutis sed damnationis viam te manuducet. An sic sermo Propheticus relinquitur βεβαιότερον, *firmior*, 2. *Petr. I.* 19. certior sc. revelatione immediatâ, facta in monte Thabor, juxta *v.* 18.? Vid. Magnif. DN. D. *Fechtii*, (cujus canis Antiqvus dierum clementissimè benedicat!) *Schediasmata Exercit.* 5. §. 37. *p.* 1041. Neutiquam! Fontes enim luto commaculatos limpidè haud fluere *Cappelli* assecla clamabit. Equidem dubio procul excepturus est *Jacobus noster*, non ubique mutationem Scripturæ S. instituendam esse, sed ibi saltem, ubi mutationis quoddam fundamentum præsto est! Verum enim verò si totum rationis Cappellianæ apparatum lustras, perlustrasq;, res omnis ad meras tandem redibit conjecturas. Acutus nempe novorum inventorum Architectus novam, meris tamen, atq; incertis conjecturis nitentem Poëseos Hebraicæ rationem fingit, vel, ut rotundè dicam, sputum *Joh. Clerici* lingit, hujus quippe de Poësi hebraica placita approbat, osculatur, arripit. Ut itaque lubricum Poëseos artificium exstruatur, amplificeturque, En! ad conjecturas semper recurrit *Cappellus*, secundum illarum filum Codicis sacri emendationes suscipiens maximè temerarias. Licet autem vestigia Parentis *Ludovici* in eo deserat Filius *Jacobus*, quod in excudendo, vel certè exornando metro Hebraico omnes intendat ingenii artus, de qvo non cogitavit Ludovicus, artem potius poeticam, à *Gomaro* introductam, destruens, uti §. II. notavimus; Poterant tamen conatus *Clerici*, *Cappellique* suo relinqvi loco

si modo,

si modo puritati fontium, atque integritati Scripturæ nihil detrahere-tur. Qvia verò sine mutilatione Textus Hebræi vix in pauciſſimis locis laudata poëseos ratio comparet, meritò cum *B. Pfeiffero Dub. vexat. p. m.* 530. *n.* 6. ingeminamus : *Maneat potius æternum sepulta poësis, quam sacrarum literarum sollicitetur integritas.*

§. IV. Adplaudit interim Cappelli conatibus *Joh. Clericus*, Vir stupendæ diligentiæ, magniqve sed portentosi ingenii, (de cujus Scriptis vide, sis, Disp. meam inaug. sub tit: An. ἀνθρωποπάθεια sint vestigia *Gentilismi in Præfat*). Ita enim verba ipsius dans *la Bibliotheque choisie t. c. p* 283. leguntur concepta: (Louis Cappel.) *m' a envoyé l' essai suivant, qve j' ai cru devoir communiqver ici au public, avec la lettre, qv' il m' a écrite. Ceux qvi l' oront lû, souhaiteront à l' Auteur de la Santé, & du loisir, pour s' appliqver à de semblables choses le reste de sa vie, & pour faire voir, qv' il est digne Fils d' un si illustre Pere.* Manifestis Clericis speciminibus comprobat, sibi integritatem sacrarum literarum, fideique certitudinem curæ non esse cordique, alias enim tantum abfuisset, ut Cappellianæ temeritatis documenta in cœlum veheret, ut ea potius æterna oblivione obruta voluisset. Nemo itaque ex cordatis rerum arbitris votum cum *Clerico*, pro felici talium ac similium Cappellianorum conatuum successu, fundet, saniorem potius *Cappello* mentem ex intimis præcordiorum thalamis adprecabitur. Sed qvid mirum, tanta sollicitudine *Clericum* in laudes *Cappelli* exspatiari, cum post *Theodor. Herbertum Libro de Poëtica veteri*, *Clericus* qvoqve Poësin Hebræorum in sono vocum similiter desinente constituat, & libros Scripturæ metricos, si ὁμοιοτέλευτα non comparent, pro lubitu mutare audeat, cujus audaciæ primitias protrusit *in Arte Critica P. III. Sect. I. Cap. XV. p. m.* 331 *sqq.* ed. Amstelod. An. 1697.

§. V. Neque tamen Primi sive *Clericus* sive *Cappellus* fundamenta emendationum Scripturæ, audaciter tentatarum, collocant in metrica quadam inventione. Jam olim enim *Andr. Masius ad Jos. X.* p. 135. facē quadantenus prætulit, pariter atq; *D. Nicolaus Petræus Metric. Ebr. §. 2. obs. 7.* non abluſit, scribens: *Jobum & Proverbia Salomonis facili negotio dimetiris, si nonnunquam in posteriore versuum membro, syllabam aut pedem integrum desiderare, vel abundare advertis.* Vid. B. *Pfeiff. Dub. vexat. p. m.* 532. *n.* 10. Imò acerbis quasi lacrymis deplorare habemus desperata recentiorum temporum fata. Nam *Marcus*

Mei-

Meibomius, Pontificius, summo vertiginis Spiritu actus, id sibi negotium quasi datum putavit, ut impunè in sancti Codicis Ebraici viscera sæviret. Hinc saltem non ubique extantem regnare corruptionem profitetur, oriundam ex malitia pariter Judæorum, atque incuria descriptorum. Si autem ex Meibomio fundamentum expiscari cupis, qui eò procedat audaciæ, nihil, quod regerat, habet, nisi metricen suam. Gratulatur enim sibi inventum Hebræorum metrum, duobus minimum annorum millibus ignoratum, ope cujus corruptioni textus Ebraici, si ipsum audis, mederi se posse svaviter nugatur, uti loqvor in *Diss. de sexu sequiori eruditionis fama coruſco præfat. p. 3.* Ipsum qvidem tantopere decantatum metrum curioso orbi nondum communicavit, neqve nisi soluto maximo pretio copiam se inventi sui facturum, *in Præfationum ſpeciminibus*, pronunciat; Variis tamen schedis malè feriatam ebuccinavit mentem, ita ut etiam an 1698 publico dederit Opusculum sub tit: *Davidis Pſalmi duodecim, & totidem S. Scripturæ V. T. integra capita, qvæ novi ſpeciminis loco Bibliorum ſuorum emendationum & interpretationum, priſco Ebræo metro reſtituit, & cum tribus interpretationibus apponere voluit Marcus Meibomius*, qvemadmodum jam antea *tria Specimina* per totam ferè Europam disseminare gavisus fuerat, præconem ubique acturus infallibilis sui (si fabula vera est) metri. Conf *Dn. D. Loescherum de Cauſis Linguæ Ebrææ Lib. II. cap. 13. §. XII. XIII. p. 182. ſqq.*, & qvi Meibomianam temeritatem repressêrunt, *D.D. Brand. Henr. Gebhardi in diſqviſitione de Metro Marci Meibomii, qvod principium emendandæ Scripturæ eſſe prætenditur*, atqve *B.D. Zentgravium in Vindiciis incorrupti codicis Hebraï contra Marcum Meibomium.* Jungam subacti ingenii judicium prælaudati Dn. D. *Læſcheri l. c. p. 183*, hocce incedens tenore: *Vadem me ſiſto, poſſe, ſi impunè liceat Meibomianis artibus uti, univerſum codicem Biblicum in Virgilianos hexametros, Ovidianos Elegos, vel Horatianas odas transformari*, paucisqve interjectis *p. 184.* ita sonans: *De cauſis horum conatuum non eſt, qvod qværamus, cum ambitio Viri, paradoxorum amor, ſuſpicax ingenium & contemptus eruditorum fermè omnium ſatis ſuperqʒ innotuerit.* Ceterum recentissimum Criticum, *Richardum Simonem*, lubens absque prolixa censura dimitto, licet & is in *Hiſtoria Critica V. T.* totius textus sacri autoritatem elevare imò deprimere conetur, ejusdem impenetrabilem obscuritatem, incer-

certam originem, lubricam inconstantiam causatus, tantum ut Ecclesiæ Pontificiæ autoritatem atque traditiones regium in solium extollat. Vid. *Natalis Alberti de Verse præfationem* ipsi Historiæ Criticæ operi, ejusque versioni latinæ, præmissam. Confutavit eum DD. *Majus in Examine Historiæ Criticæ V. T.*

§. VI. Enim vero propius accedamus necesse est, Cappellianas lustraturi temeritates. Js apud *Clericum Biblioth. choisie Tom. XIII. p.* 288. longa enarrat serie, se in æde sacra, die dominica, cum eorum, quæ Concionator Anglus prælegebat, nihil intelligeret, attentè nec semel prælegisse, Psalmum CXLV. Sic itaque illotis Cappellus manibus tangit Psalmum istum, quem Rabbinorum nonnulli in tanto habuerunt pretio, ut ter eundem quotidiè recitanti certissimam vitæ æternæ spem facerent, ab ipso tamen Contribule *R. Davide Kimchio* atro notati carbone. vid. *B. Geier. Comment. in Psalm: col.* 2459; tangit Psalmum istum, cujus *versum* 13. invita qvasi minerva ad Regem Galliæ Ludovicum XIV, trahere conati sunt adulatores ejus, censuram ideò incurrentes *Dn. Seb. Gottfried Starckii in Comment. in loca qvædam Psalmorum Davidis à Gallis adhibita in laudem Regis sui & Ducis Vindocinensis* §. XXII. XXIII. XXIV. Hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Redimus ad Cappellum. Existimat, titulum Psalmo dignè adscribi posse: *Encomium regni DEI*, provocans ad primum carminis præsentis initium: *Extollam te DEUS mi, Rex*, nec non ad medium carmen, ubi versus 11. 12. 13. qvater memorant disertè, celebrantq; regnum DEI. Hactenus nullum Critico nostro bellum intentamus. Pergit mox *p.* 289, primum rabiei documentum exhibiturus, ad memorati Psalmi *Versum* „ 4*tum*, seqventesve, hisce verbis: V. 4. pro משיך ישבח lege omninò „ מעשיך ישבחו. vers. 5. pro וגבורתיו legè omninò יגברו qvamobrem „ LXX Interpretes reddunt λαλήσασι. Hæc utraqve emendatio apta „ prorsus & vera judicabitur ex una atqve altera earum observationum, „ qvas hic mox proponemus. Vers. 5. insuper pro אשיחה legè omni- „ nò ישיחו, qvamobrem LXX Interpretes reddunt ἀδηγήσονται. v. 6. „ pro אספרנה cum affixo fœminino נה, lege יספרו vel יספרנה. Est „ enim hæc postrema vox futurum paragogicum, sive futurum יספרו „ cum paragoge Arabica. Paucis interjectis subjicit: Qvanqvam con- „ jectura de futuro paragogico - - , alicui forsan placitura sit, tamen nul- „ lus fere dubito, legendum esse יספרו. Hæc Dictator satis pro imperio!

Non

Non possumus tamen, qvin qvid distent æra lupinis, dispiciamus. Certè audax istiusmodi correctio sannis explodi meretur, cum omni absqve causa suscepta, rationis loco reponat illud vulgatum: *sic volo, sic jubeo, stet pro ratione voluntas.* De *Augustino*, Hipponensium Præsule celeberrimo, seqvens doctissimus *Flacius* fert judicium: *Divus Augustinus super Psalmos scribens, ita eos infeliciter imperitiâ Hebreæ Lingvæ, exponit, ut potius suas qvasdam pias meditationes conscripserit qvam ipsos exposuerit, ac illustraverit. vid. Clavem Scripturæ P. II. col. 655.* De *Nostrô* jure licebit dicere, illum omnem Lingvæ Ebrææ peritiam eò contulisse, ut impiis in Psalmos meditationibus latas aperiret fenestras. Eò interim vesaniæ procedunt meletemata Cappelliana, ut hominem sanæ mentis in assensum trahere haud valeant. Qvæso enim, si Autoris profani verba pro mero lubitu, ingeniiq; lusu transponere, immutare, invertereqve occiperes, annon cordatis Criticis justam dares pœnam? annon peponem te pro corde gerere qvilibet edissereret? Cur ergò Cappelle—! Sacrorum Scriptorum Libros impugnas? Cur impunè licentiæ tuæ te frena laxare posse confidis? Et annon hâc ratione quilibet & hæreticus & infidelis mentis suæ ægrotantis somnia facili negotio ex Codice S. demonstrare potest, si, qvod nocet, delere, & qvod prodest, inserere licet. Memoriæ meæ obversatur peregregium Megalandri *Lutheri* effatum in Tract. Daß die Worte Christi noch fest stehen *Tom. III. Jen. p. 342.* Das Wörtlein: Ist/soll so viel gelten/ als das Wort: bedeutet/ wie Zwingel schreibet/ und das Wort: meinen Leib/ soll so viel heissen/ als das Wort: Meines Leibes Zeichen/ wie Oecolampad schreibet/ daß Christus Wort und Meinung nach Zwingels Text also lautet: Nehmet hin esset/ das bedeutet meinen Leib/ oder nach Oecolampads Text also: Nehmet hin esset/ das ist meines Leibes Zeichen ꝛc. Ist fürwahr eine tresliche Sache/ gleich als wenn ich zuvor leugnet/ daß GOtt Himmel und Erden geschaffen/ und spreche mit Aristoteles und Plinius samt andern Heyden/ die Welt wäre von Ewigkeit her. Es käme aber Einer/ und hielte mir Mosen vor der Nasen Gen. I: Im Anfang schuff GOtt Himmel und Erden/ wolte ich den Text also machen/ GOtt der solte soviel heissen als: Kuckuck/ schaffen aber so viel als: fressen/ Himmel und Erden so viel als: die Großmücken mit Federn und mit allen/ daß Moses

Wort nach des Lutheri Text also lautet: Im Anfang fraß der Kuckuck die Grosmucken mit Federn und mit allen / und müste nicht heissen: Im Anfang schuff GOtt Himmel und Erden. Trefliche Kunstwäre das / welche auch die Lotterbuben woll könten. Profectò Cappellianum juxta artificium, quo non sensus verborum sollicitatur, sed ipsa verba variantur, & delicato palato adaptantur, felicius quælibet portenta in Scripturam importari, & claro tunc Scripturæ Textu ornari possunt. Suspectam enim, si Cappelli invento delectarer, iterumq; suspectam pronunciarem Codicis divini particulam: *In principio creavit DEUS cœlum & terram.* Rationem suspicionis rederem; Quia ita mihi alluberet. Porrò subjungerem, restituendam esse veram, atque genuinam lectionem, insertâ particula negativâ: *Non*, h. m. *In principio non creavit DEUS cœlum & terram.* Siccine æternitas mundi perspicuis Scripturæ verbis edoceretur? Apage, *φορτικὰ ἀκούσματα*.

§. VII. Hæc in genere regessisse sufficiat. Ad specialia quoque descendamus necesse est momenta. Monet Criticus, vers. 4. legendum esse מעשיך ישבחו. Respondeo (1.) Cum alias versio τῶν ἑβδομήκοντα omnem ferè apud ipsum faciat paginam. Cur hic autoritas ipsius nihil habuit ponderis? Certè LXX cum Hebræo textu apprimè concinunt, reddentes Versum hunce: γενεὰ καὶ γενεὰ ἐπαινέσει τὰ ἔργα σου, καὶ τὴν δύναμίν σου ἀπαγγελοῦσι, i. e. *Generatio & generatio laudabit opera tua, & potentiam tuam annunciabunt.* Neqve latum ab Hebræo ungvem recedit *Chaldæus*: דרא לדרא ישבח עובדך וגבורתך יתנון i. e. *Generatio generationi laudabit opera tua, & potentiam tuam narrabunt.* Qvî ergò contra fidem optimorum Codicum, ac contra fidem antiqviorum Interpretum solus hic sapere cupit Cappellus? (2) Sensus dicti solis coruscat radiis, si ordinariæ inhæremus lectioni דור לדור ישבח מעשיך: *Generatio Generationi dilaudabit opera tua*, cum præsens ætas posteritati, parentesve liberis enarraturi dicantur manuum divinarum τεχνουργήματα. Qvid itaqve ementita opus est luce Cappelli? Neqve conatus ipsius sublevat alterius hæmistichii consideratio, ubi pluralis habetur, h. m. וגבורתיך יגידו *& potentiam tuam multiplicem indicabunt.* Insolias enim non imus, nomini collectivo singularis

singularis numeri sæpè numero jungi verbum plurale, id qvod præsens exemplum, & alia dicta omnem extra dubitationis aleam collocant. vid. *Gen. XLI.*57. *Exod.*x. 10, qvem in modum etiam *Livius Lib. I.*, *Maxima pars*, inqvit, *ab eqvitibus in flumen acti.* Conf. *G. J. Vossius de Arte Grammattic. Lib.* 7 *Cap.* 5. *pag.* 314.; Farragi-nem exemplorum suppeditabunt *B. Glassius Phil. S. p.m.* 663. *seq* & Maximè Rev. *Dn. D. Danzius in Interprete* §. 115. *pag.* 117. *sq.*; Nihilominus tamen infirmâ planè seqvelâ colligeres: Adhibetur semel verbum plurale, constructum cum nomine collectivo singularis numeri. E. alterum verbum singularis numeri in pluralem debet mutari. Contrariam enim Lingvæ sanctæ consvetudinem hinc inde dominari in solis disco jacet. Consule *Es.* XXXIV. 4. ubi nomen collectivum prius verbum plurale, mox verbum qvoqve singulare regit.

§. VIII. Progredimur ad versum 5*tum.* Ibi *Cappellus pro* ודברי solitâ audaciâ substituit ירבון, provocans ad LXX, exprimentes λαλήσασι. Regero (1.) Cur nostræ nuncium mitteremus lectioni, in possessione constitutæ, haud video, præsertim cum illa perspicuitate se sua apprimè commendet Verba enim Davidis ita accipiantur oportet: *Gloriam majestatis tuæ magnificentissimæ* ודברי נפלאותיך *ac verba mirabilium tuorum meditabor.* Pollicetur David, divino actus spiritu, se præstantissimam Numinis majestatem tacitâ voluturum esse meditatione, imò, excellens licet eloquii flumen impar existat operum DEI mirabilium abyssо, se tamen verbis inveniendis cogitationes omnes dicaturum, ut aliquali minimum ratione divinam potentiam eloqui, audientiumque admirationem elicere queat. Quapropter statim addit *vs.* 6.: *Magnalium tuorum qvodcunque enarrabo.* Hac quoque ratione evanescit Pleonasmus, doctissimis arridens Viris, uti *B. Glassio Philol. S. p.m.* 486, *Geiero in Comment. h. l. col.* 2463., aliisque. (2) Emendatio Cappelliana injuriam infert accentuum posituræ, cum per accentum Athnach vox והודך ab altera succedente ודברי secernatur, indicio, subsequentem hance non ad antecedentia, sed ad subseqventia referri debere. Exspirat ergò expositionis Cappellianæ inventum, ita se habens: *Gloriam majestatis summæ enarrabunt.* Optimè qvidem constat, *Cappellum* ne titivillitii quidem instar totum accentuum mini-

ministerium æstimare, cum Parens ipsius, *Ludovicus Cappellus*, omni illos autoritate exuere enixus sit, in *Arcano punctationis revelato*. Enim verò ne triumphum agat ante victoriam. Expugnarunt enim *Arcanum Cappelli*, *B. Calovius in Critic. S. Diatrib. IV. p. 90. sqq.*, post eum *Joh. Buxtorffius*, Fil. in *Tr. de punctorum, vocalium, & accentuum origine, antiquitate & autoritate*, post utrumque *B. Wasmuthus in Vindiciis P. I. p. m. 105. sqq.* Adde DN. *Weimarum in Usu Accentuationis Biblicæ p 1--50.* (3) Nec officiunt nobis LXX, cum quibus amicè conspirant *Vulgatus*, *Arabs*, *Æthiopicus*. Quia enim antea ipse *Cappellus* deserere non dubitavit adeò æstimatam versionem septuagintaviralem; vid. §. VII.; Multò minus vitio nobis vertet, si nutui τῶν LXX. non assurgamus. Accedit, versionem LXX. non in divinitatis thronum collocandam esse, uti quidem existimavit *Isaac. Vossius in Dissert. de LXX. Interpretibus*, *ac in Responsione ad objecta Criticæ S.* Legatur contra eum *Hieronymus le Camus*, Theol. Parisiensis, *in judicio de nupera Vossii Responsione ad iteratas Simonii objectiones*. Impios quoque Vossii conatus, ex calculo LXX. supputationem Codicis Hebræi corrigendi, repressit *Joh. Meyerus in Dissert. de Codice, & Calculo Hebræo, præferendo Samaritano & Græco*, quæ præfixa est *Chronico Ebræorum p. m. 206. sqq.* Certè fabula de LXX. cellulis exsibilata jam est ab *Hieronymo Apologia II.* Adde *Hottingeri Thesaurum Philol. p. m. 316. seqq.* Nec minus *Aristeæ Historia de LXX. Interpretibus*, qua alias haud leviter fulciri solet vacillans τῶν LXX. fides, hodiè à nemine non pro supposititio ac spurio agnoscitur fœtu. vid. *Humphredi Hodii Dissert. contra Historiam Aristeæ*, *Ejusdem Tract. de Bibliorum Textibus Originalibus*, *& versionibus Græcis & Latina vulgata Lib. I*; *Anton: van Dalen Dissertationem super Aristeam.* Junge *Placcii Theatrum Anonymorum, de Scriptoribus Pseudonymis num. 243. p. m. 75. D. D. Fabricii Bibliothec. Græc. Lib. 3. cap. XI. p. 317. sqq.* In genere consule *Jac. Usserii Libr. de LXX. Interpretum editione*, *Christoph. Cellarii Disp. de LXX. Interpretibus*, *Gerh. Meyerum de Versione LXX. virali historica*, *Godofr. Weissii Historiam de LXX. Interpretibus à fabulis liberatam*, *D. D. Fabricii Bibliothec. Græc. l. c.* Neque moramur *Paulum Pezronum in defense de l'antiquité de tems cap. IV. & VII*, idem cum Vossio saxum volventem, quippe cujus jam insultus ex parte sedavit D. D. *Brand. Henric. Gebhardi in Vindiciis Ebræi Textus*. Et annon quilibet sanus

juxta

juxtà Codicem Originalem, tanquam juxtá normàm, exigendas dicet versiones? Quî itaque *Cappellus* avthenticum textum secundum versionem exigere audet?

§ IX, Geminum adhuc malesani ingenii specimen præbet *Cappellus* ex אשיחה faciens vſ. 5. ישיחו autoritate τῶν ἑβδομήκοντα se tuiotus. Sed (1) refragatur contextus. Nam divinus Rex in prima persona se tanquam spontaneum majestatis divinæ Præconem stiterat vſ. 1 ארוממך *extollam te*, אברכה *benedicam*, vſ. 2. אברכך ואהללה *benedicam tibi, & laudabo*; Mox vſ. 4. tanto divinæ gloriæ fulgore collustratum se senserat, ut neque ipse, neque præsens ætas ad posteritatem tantum suam, sed quælibet succedens generatio ad subsequentem generationem propagatura sit divini nominis memoriam. Hinc utitur verbis tertiæ personæ ישבח *laudabit*, יגידו *indicabunt*. At v. 5. Psalmista ad se ipsum regreditur, adhibens vocem finalem אשיחה *meditabor*. Exulet itaque temeraria *Cappelli* emendatio! (2) Versio autem septuagintaviralis veritati nihil præjudicat. Militat pro nobis *Chaldæus*, reddens: מלי פרישותך אמלל *Verba mirabilium operum tuorum eloqvar*. Conspirat *Vulgatus*. Consentiunt Interpretes alii. Versiones ergò versioni opponimus.

§. X. Castrare pergit profanus Criticus versum 6., substituens pro ordinario: אספרנה, vel: יספרנה cum Paragoge Arabica, vel יספרו, mittens tamen postmodum Paragogen Arabicam. Respondeo (1) Divinus Rex vſ. 1, 2. in prima persona de se loquitur; Cur non idem sermonis genus continuaret vſ. 5. 6. Illudque inprimis inter singulares referendum videtur elegantias, quod, cum David *vers.* 1. & 2. laudes Domini plenis decantare buccis pollicitus esset, mox v. 3. majestatis cœlestis jubare se ad id permotum fateatur, iterum v. 4. alios introducat Encomiastas, v. *autem* 5. ad se ipsum redeat; porro v. 6. in primo hæmistichio alios encomiorum divinorum socios alleget, in posteriori autem ejusdem versus segmento denuò ad se ipsum provocet. Sic varietas styli Davidici delectat! (2.) Florente Hebraismo, voces auctario Arabico gaudentes, excogitare nulla cogit necessitas. Unde audiendus qvoqve non est *Meyerus in Philol. S P.I. P.* 354., nomen בר *Filius Pſ.II.* 12, *ex* Chaldaismo derivans. (3.) Neqve obulum valet altera Critici nostri lectio, per יספרו, cum ex inani innovandi pruritu ortum trahat, atqve natales.

§. XI.

§. XI. Fundamentum qvoqve temerariarum immutationum subruamus necesse est. Verba itaqve, ne inauditum condemnemus, pro se faciat *Cappellus l c. pag. 290. sqq.* Sic hujus elegantissimi carminis qvatuor versus, nempe 4. 5. 6. 7. habent singuli in medio & extremo versu 3 pluralem masculinam Futuri in Pihel, Hiphil aut Kal, desinentem in ן. Sicqve 4 illi versus mire conveniunt cum eâ Hebraicæ Poëseos ratione, qvam Joan. Clericus ingeniose ostendit fuisse antiqvissimis Hebræis usitatam, & cujus ait vestigia non pauca supereſse in sacro Codice Hebræo. Primum enim qvatuor illi versus numero syllabarum sibi invicem similes sunt. Deinde illi in medio & fine, desinunt singuli eodem modo & sono ן. Qvarta porro similitudo præter tres modo memoratas hic minimè prætereunda est: Qvia illi 4 versus accurate & manifeste conveniunt inter se. Nempe qvemadmodum illi singuli in medio & fine habent eandem futuri temporis personam, eodem modo desinentem; sic octies ante futurum illud, proximè præcedit affixum ך. Nec parum confert hæc convenientia, ad probandam primam & secundam emendationem superius hic propositam. Manifestè verò confert nonnihil ad hujus carminis elegantiam copiosa illa varietas, qua in qvatuor illis versibus, cum octies usurpetur futuri temporis verbum aliqvod, significans: laudare, prædicare, canere; octies itidem mutatur verbum, & ne semel qvidem ullum iteratur. Hæc ille! At verò pudeat Cappellum putidi sui Commenti, vi cujus lubricam poësin in altum collocaturus, genuinam omnium codicum fidem throno movere nullus dubitat. Varia interim reponi merentur. Nam (1) maximam impietatis notam Cappellus incurrit, qvando mutationes, merum cerebri beneplacitum sapientes, instituendo, omnia incerta reddere, Sacræ Scripturæ autoritatem elevare, atque tandem indifferentismo, ac qvidvis sentiendi licentiæ amplas patefacere studet feneſtras. Certè fontibus turbatis, impurè fluunt rivuli, & Codice sacro exploso, ordo mox tanget fidei articulos, exindè deductos. Apage itaqvè impios conatus! (2) Criticus noster perpetuam introducit de verâ lectione dubitationem, ut tandem pro ingeniorum diversitate, fingendique fœcunditate tot emersuræ sint emendationes, qvot muscæ sunt in America, cum calet maximè. Noli enim putare Cappelle, tibi soli licuisse esse tam bea-

beato, ut sonos similiter desinentes investigares. Nullo enim negotio & mihi & aliis gemina continget felicitas. Cape, si placet, sequens specimen, & dic postmodum, qvisnam ex nobis rem acu tetigerit. Lubet mihi v. 1. vocem אברכה, *benedicam*, ex medio versus surreptam, ad finem transferre. Collibet porro, *versum secundum* claudere verbo: אהללה, *laudabo*. Ulterius participium מְהֻלָּל *laudabilis v. 3.* mutabo in: יהללה *laudetur*, illudqve pariter ad extremum versus relegabo, hoc sensu: גדול יהוה מאוד ולגדלתו אין חקר *Magnus est Dominus valdè, & magnitudinis ejus non est perscrutatio*: יהללה *laudetur*. Progrediar ad v. 4. & pro יגידו substituam יגידה *indicabit*; Inspice jam levi qvasi oculo v. 5, & ibi similiter desinentem deprehendes vocem אשיחה meditabor. V. 6. legi jubebo: אספרה *nunciabo. V. 7.* ex ירננו efficito: ירננה *vociferabitur*. Qvantine Cappelle! hic latitant absconditæ hactenus sapientiæ thesauri. Itane septem versus semper exeunt in ה paragogicum. Et si ita insanire licet, manifestum qvoqve carminis genus commonstrabo in libris prosaicis, in qvibus nullum metrum exspectabis. Nempe, ne de felicissimo ambigas successu, contemplare *Cap. I. Geneseos v. 1, & 2.* Transpone saltem v. 1 voces, & ultimo loco colloca nomen: שמים; In versus 2di priori hæmistichio pro תהום substitue תהומים. Itane in stuporem te rapit mira sonorum concordia? Nonne v. 1. in medio habetur pluralis אלהים, Deus, & in fine dualis שמים Cœli. Nonne pari planè ratione versus 2di prius segmentum fistit pluralem תהומים *abyssi*, & ultimum exhibet dualem המים *aqvæ*? Ludere perge! Nonne sicut in priori versu prius adest pluralis, postmodum verò dualis, ita qvoqve in posteriori commate prius pluralis, deindè dualis comparet? Nondum satis! Nonne sicut in priori versu vox אלהים duabus, altera verò שמים tribus gaudet syllabis; ita etiam in posteriori versu vox תהומים duas, posterior tres numerat syllabas? Et si mutare, transponere, delere, supplere concessum est, qvicqvid furor suggesserit, qvis nisi mente captus vel minimam in eo artificii micam qværere poterit. Hinc juxta ductum Cappelli Gen. I. *partim* datur similitudo syllabarum, partim in medio desinunt singuli in ים. & in fine in ם־. Versus qvoqve secundus tam in priori, qvam posteriori hæmistichio præmissam habet

 particulam

particulam על פני, Forsan etiam manifestum poëseos specimen deprehendes *Gen. X.* 16. 17, ubi singulæ fermè voces terminantur in י, præposita nota accusativi את. Sed operæ pretium non videtur, ulterius nugis cum nugarum Parente inhiare. (3.) Si novum poëseos inventum, Clerico transscribendum, aliqvid in recessu habet, tenetur *Clericus*, ipsiusqve assecla, *Cappellus*, illud ex Scriptura efferre, non in eandem inferre. Qvis enim, obsecro, fidem adhibebit tibi, ita procedenti: Veterum Hebræorum poësis constitit numero syllabarum, & sono similiter desinente. Nam, ut exemplis rem dubiam extra dubii suspicionem collocem, pro lubitu hic aliqvid demam, illic aliqvid addam, donec scopo meo potitus fuero. Et annon tu Cappelle! corruptionem fontium cum Parente tuo plenis invehere velis anniteris, atqve rationis fundamentiqve loco provocas ad novum poëseos εὕρημα? Sic ergò aliundè veram poëseos rationem ad convictionem usqve cordis debuisses demonstrare, & postmodum demum temeraria mutationum documenta edere. Qvia verò corruptionem fontium nondum probatam, ex fundamento qvoqve similiter lubrico derivare gestis, nonne qvilibet te incertum per æqve incertum comprobasse oppidò annuet? Sed de ipsa poësi postmodum plura! (4.) Si vestigia saltem non pauca illius poëseos, docente Clerico, in Codice Biblico supersunt, non ubiqve talia vestigia sese præsentant, & si hoc, qvis eo te, Cappelle, donavit privilegio, ut ad memorata vestigia *Psalmum* CXLV. v. 4. 5. 6. pertinere audacter decernere valeas. Qvodsi verò olim ubiqve in libris metricis poëseos dictæ rationem observatam fuisse, successu temporis incuria Librariorum, aliaqve ex causa, expirasse, sicqve postliminio qvasi restituendam esse, edisseris, næ desipiendo facis, ut nihil sapias, precariam enim tuam hypothesin cachinno excepisse, est eandem funditus destruxisse. (5) Egregiè fallitur *Cappellus*, causatus, versus qvatuor, 4. 5. 6. 7. numero syllabarum sibi similes esse. Nam secundum Cappelli emendationem v. 4. constat qvindecim syllabis; v. 5. sedecim; v. 6. juxta puncta, qvindecim, juxta literas, sedecim; v. 7 qvatuordecim. An vero versus qvindecim, sedecim, ac qvatuordecim syllabis gaudentes numero se syllabarum æqvant? (6.) Et qvid, Cappelle! lucratus es omni opere tuo? Poësin tuam vel potius Clerici, in cœlum tollis, & tamen in qvatuor saltem versibus eandem post varias temerariæ manus notas, obviam esse doces. Cur non in reliqvis qvoqve Psalmi hujus portionibus gemina regnat sonorum

harmonia

harmonia, ac syllabarum similitudo? (7) Ultimus verò Cappelli sermo, qvo unam eandemqve vocem, prædicationem videlicet nominis divini, octo distinctis verbis elegantèr expressam esse, monet, vineta *Clerici*, Amici Cappelli æstumatissimi, cædere aptus natus est, qvippe qvi de in[illegible] paupertate literaturæ hebrææ valdè qveritur, uti jam notavi *in diss. mea inaug*: *An* Αὐξησιπαπυρία *sint vestigia Gentilismi Tmemat.* 2. §. 5. p. 48.

§. XII. Nondum tamen sævitia adversus Psalmum CXLV. grassari desinit. Hinc *p.* 292, Qvatuor, infit, emendationibus supra confirmatis, qvidni adjiciatur qvinta? Scilicet, in hujus carminis versu 5to pro נִפְלְאוֹתֶיךָ legendum videri וְנִפְלְאוֹתֶיךָ. Nam in 4.6.7. versu penultima vox, qvam antecedit proximè, & proximè sequitur futurum tempus, præfixam habet copulam Vav. Qvidni igitur idem fiat in versu 5to? Sic enim hujus prior dimidia pars cum altera dimidia parte connectetur per illam copulam. Qvod ipsum accuratè servatur per totum hoc carmen, nempe in una & viginti versibus singulis, si 8 & 18 eximas. Et in octavo qvidem ea exceptio rectè adhibita fuit, qvoniam 2 & penultima vox præfixum habet vav copulativum. Hoc itaqve ter usurpari, in brevi versu nimium videri poterat. Qvapropter id nunqvam factum est in qvoqvam versu hujusce hymni. Hæc dictator. O Cappelle! qvæ te dementia cepit, qvod luem tuam impuram adhuc latius dispergas. Cordati omnes ad singulas superius prolatas emendationes, corruptiones rectius dixeris, tanqvam ad caput medusæ exhorrescunt, & Tu Cappelle! qvasi re bene gesta in sinu gaudes, inqviens: Qvidni adjiciatur qvinta? Sed respondeo (1) Qvidni adjiciatur sexta, septima, & sic porrò, donec nullus amplius remanserit versus, qvi manum tuam crudelem non sit experta? Certè maximum profanæ mentis παραφήριον exercebat Noster, contra accentuum autoritatem, contra probatissimorum exemplarium fidem, nullo urgente necessitatis telo, nullo præsente rationis pondere, pro וְדִבְרִי, supponere יִדַּבֵּר. Geminum jam sequitur ineptiarum documentum, dum particulam Vav adjungere & pro נִפְלְאוֹתֶיךָ legi jubet וְנִפְלְאוֹתֶיךָ. (2) Dicis, Non absqve causa id fieri in solis jacet disco, cum hâc ratione accurata servetur per qvatuor versus convenientia. At à qvonam *Cappelle*, oraculo edoctus es, easdem, qvæ in aliis versibus nonnullis occurrunt, particulas, easdem minutias in 5to qvoqve versu conspici debere.

Ergone qvia in vſ. 1. ſecunda vox inchoat à ל in לדור, id qvod etiam obſervatur vſ. 4., licet colligere, mutandas eſſe reliqvas voces, donec per omnia eadem emergat ſimilitudo. Haud itaqve forſan à janua aberrabit Cappellianus diſcipulus, qvi vſ. 2. pro ככל יום legere inciperet יום ליום *die in diem*, & in vſ. 3. v[illegible]nitialia גדול יהוה deleret, efformans: גדול ליהוה *Magnitudo es, Domine.* Itane ſemper ſecunda vox ſuperbit litera ל in qvatuor verſibus? Ejice, ſi ſanus es, iſtiusmodi qvisqvilias. Porrò neqve Cappellus nobis perſuadebit, ſuſcepto additamento literæ Vav per qvatuor verſus, nempe 4. 5. 6. 7., priorem dimidiam partem cum alterâ dimidia parte ſemper connecti per copulam Vav. Nondum enim in apricum deduxit veritatem aſſerti precarii, pro וזברי hocce vſ. 5. ſubſtituendũ eſſe: ויזברו vid. §. *IIX.* Hoc autem nondum evicto, tota moles Cappelliana peſſum it. (3) Objicit *Cappellus*, per totum hunc Pſalmum poſterius hæmiſtichium à Vav initium ſumere, idem ergò de verſus præſumi oportere. Verum jugulat ſe *Cappellus* proprio gladio. Illa enim vocum ſeries, qvæ præmiſſam habet particulam Vav, juxta Cappellum, abſolvit alteram dimidiam verſus partem. Idcircò altera hæc dimidia pars in vſ. 5. auſpicatur à voce : וזברי, & ſi hoc; adulterinum *Cappelli* futurum ויזברו miſerè extingvitur. Ulterius ipſe *Cappellus* verſus 8 & 18. excipiendos monet, cur non excipiendorum claſſi annumeras potius memoratum verſum qvintum, qvam eidem vim facias? Aut cur tibi à ſolita temperas correctione? Cur ex verſu 8. non proſcribis duo Vav, & unam ſaltem copulam medio inſeris? Cur pariter verſui 18. parcis? Nos itaqve jure parcimus qvoqve *verſui 5to.* Tandem perperam pro ornando monſtro ſuo Cappellus provocat ad ſingula Pſalmi CXLV. commata. Licet enim exceptis duobus, reliqvorum verſuum poſterior dimidia pars Vav præmiſſo gaudeat; Attamen talem ne ipſe qvidem Argus inibi deprehendet poſitum, ut proximè ante Vav præcedat, proximeqve ſeqvatur futurum tempus. Intutum ergò illa obſervatio Cappello præbet aſylum. (4) Caſu interdum evenit, amicè nonnullos verſus in hiſce vel illis circumſtantiis conſpirare. Nonne autem funiculos necteret ex arena, indè ſubſequentium qvoque portionum convenientias derivans, easqve violenta qvadam manu effingens. Sic *Exod. XXIII.* 3. 4. 5. 6, qvilibet verſus

versus exit in ן. Qvis autem propterea versui ן. ac seqventibus inferret injuriam, geminam subjiciendo terminationem ן ?

§. XIII. Auscultemus adhuc Criticum nostrum *p.* 292. Ejus porrò versus duodecimus *sexta* emendationi dat occasionem, qvippe qvi hâc voce claudatur מלכותו pro qua haud temerè legas מלכותך. Primum enim sic legerunt LXX. Interpretes, cum reddant βασιλείας σου. Præterea hoc modo vs. 12. desinit, 13 incipit eodem modo, planè, nec ullatenus dissimili vocabulo: qvam figuram ἀναδίπλωσιν, facundissimi Scriptores non rarò usurpant ן. Hic autem illa figura crescit, eoqve fit elegantior, qvod unum idemque nomen מלכות, continuo & indivulso tenore ter usurpetur ן. Postrema hæc emendatio confirmabitur haud parum ex iis, qvæ de metrica hujus Psalmi ratione infra disseremus. Explosо itaqve veteri מלכותו, magis Nostro arridet מלכותך *regnum tuum*, sed clumbibus planè causis moto. In fronte collocat non gregarios milites, sed phalangem invictam, LXX. puta Interpretes. Verùm enim verò Autoritas τῶν ἑβδομήκοντα tanti non est, ut omnem genuinorum Codicum fidem destruat, vide *supra* §. *IIX.* Adhæc â partibus nostris stat *Targum*, ita vs. exprimens. לאודעא לבני נשא גבורתוי ויקר שבחור מלכותה i. e. *ad notum faciendum filiis hominum fortitudinem ejus, & gloriam decoris regni ejus.* Neque abludit *Vulgatus*, habens: *Ut ostendant filiis hominum fortitudines ejus, & gloriam decoris regni ejus.* Versionis itaqve LXX. viralis autoritatem aliarum versionum autoritate elidimus. (2) Et qvis sputum lingeret τῶν ἑβδομήκοντα eo in argumento, ubi manifestæ ex visceribus textus ἀβλεψίας insimulari possunt ן. Nonne enim per totum hocce carmen Psalmista modo orationem ad Altissimum dirigit, eumque intrepido compellat ore ן; modò de DEO in tertia persona sermonem facit ן. Priùs videre est *vs.* 1. 2. 4. 5. 6. 7. 10. 11. 13. 15. 16., posterius *vs.* 3. 8. 9. 12. 14. 17. 18. 19. 20. 21. Qvid mirum itaque, loquendi modum in tertia persona usurpari *vs.* 12; sed *vs.* 13. statim styli varietatem succedere? Qvid? qvod ἐπ' ἀυτοφώρῳ *Cappellum* deprehendi liqvido constat ן. Nam David in verbis immediatè præcedentibus de DEO in tertia persona loqvitur, inqviens: *ad notum faciendum filiis hominum potentias Ejus*; probabile hinc facilè redditur, veriorem judicandam esse illam lectionem, qvæ ejusdem personæ continuationem in ultimo versus segmento

mento sistit, rectèqvè nos retinere nostrum מלכותו *regnum Ejus*. Malæ causæ præsidium qværere Criticus noster admititur in ornatu figuræ Rhetoricæ, qvam ἀναδίπλωσιν vocant. Verum (α) Ipse summus dicendi Magister, Spiritus S., flosculos elegantissimos, qvantum sufficiebat, per sacræ Scripturæ latifundia disseminavit. Nostrum est, illis delectari, illos admirari, non verò ὑπερφέρειν παρ' ὃ δεῖ φρονεῖν, atq; novas hinc inde figuras interserere. Posito itaqve, hâc Cappelli audaciâ ἀναδίπλωσιν demum exsurgere, cujus antea neqve vola aderat, neqve vestigium; ad orcum tamen relegemus necesse est illam libidinem, qvæ in gratiam ἀναδιπλώσεως vel literam sede ejicit, invertitve. (β) *Anadiplosis*, sive geminatio, est, qvando vox eadem repetitur in fine præcedentis, & initio seqventis sententiæ, v. g. *Psl. CXXI. 1. Levo oculos meos ad montes, unde veniet* AUXILIUM MEUM; AUXILIUM MEUM *à Domino*. Eum in modum Hipponensium Præsul, *Augustinus in Psalm LXXXV.* fatur: *Heu mihi, qvia incolatus meus prolongatus est. Si enim dulcis patria est, amara peregrinatio est. Si amara peregrinatio, tota die tribulatio. vid. Flacii Clav. Scriptur. P. II. col. m. 298., Glassii Philolog. S. p. m. 1413, Dieterici Institutiones Rhetoric. Lib. I. cap. 16. p. m. 93. sqq.* Necesse igitur est, ut eadem repetatur vox, non verò singulas simul vocis adjectiones circumstantiasve repetere necesse est. Sic ad anadiplosin refert *Diericus l.c p. 95.* seqventem *Ciceronis pro Rosc.* sententiam: *Injuriam novo scelere conflatam putant oportere defendi: defendere ipsi propter iniqvitatem temporum non audent*, etiamsi non penitus ejusdem vocis instituatur geminatio, sed in priori sententia adsit passivum: *defendi*; in posteriori verò activum: *defendere*. Ex hisce ad oculum patet, anadiplosεos venustate superbire vs. 12. 13., licet vs. 12. occurrat nomen מרכותו *regnum ejus*, vs. verò 13 vox מלכותך *regnum tuum*, atqve adeò integri duo versus seqventi incedant tenore: (sancti loqventur) *ad notum faciendum Filiis hominum fortitudines Ipsius, & gloriam honoris* REGNI IPSIUS, REGNUM TUUM *est regnum omnium Seculorum &c.* Ceterum de metrica ratione Clerico Cappelliana, qvam adeò Noster deprædicat, postmodum dispiciemus. §. XV. sqq.

§. XIV. Hisce absolutis, *Cappellus* oculos vertit in vs. 14. omissum, si ipsum audis, à longo jam tempore, neque deinceps restitutum, subjungens *p. 293*: Is defectus facillimè & cognosci & suppleri qvit.

quit. Cognosci - ex structura carminis, qvod -- ita contextus (re-
ctè: contextum) est, ut ejus versus accuratè seqvantur ordinem, at-
que numerum duarum & viginti literarum Alphabethi Hebraici. Fa-
cillimum ergò fuit, defectum illum vs.14. hinc intelligere, quod in hoc
Psalmo nullus nunc versus incipiat â litera Nun, quæ in illius Alpha-
bethi ordine 14 est Suppleri autem facile potest idem ille defectus
ex LXX. Interpretibus, qvos Augustinus & Vulgatus Interpres hic
seqvuntur. Illorum enim Græca versio post 13 versum, sic enunciat
14: πιστὸς ὁ κύριος ἐν τοῖς λόγοις αὐτοῦ, καὶ ὅσιος ἐν πᾶσι τοῖς ἔργοις
αὐτοῦ. Unde apparet clare, uti Parens meus in Critica S: docuit, hu-
jus Psalmi vs. 14. in Contextu Hebraico olim à litera Nun incepisse,
atqve adeò his verbis fuisse scriptum: נאמן יהוה בדרכיו וחסיד
בכל מעלליו. Qvarum vocum dimidia pars repetitur vs.17. Hinc
factum, ut non actutum cernentes scribæ, neqve singula accurato
examine perpendentes, temerè putarint vs. 14. esse omittendum, ut-
pote eundem prorsus cum 7: cum tamen discrimen inter hos 2. ver-
sus appareat ex prima tertia & sexta voce versus omissi & supplendi.
Porrò hic defectus non ex Vatis sacri manifestè accurati, ulla negli-
gentia ortus; sed ex Librariorum incuria, aut inscitia; facile etiam
supplendus, ut modò ostendimus, excusat sanè, atque adeò com-
probat emendationes illas, qvas supra adhibuimus ad hujus Psalmi
vs. 4.5.6.7.; nec non 12. Jn carmine enim præstantissimo, sive
argumenti majestatem --- sive perpetuum, varium, simplex tamen,
& qvasi nativum artificium spectes --; qvis jure culpet qværi & restitui
artem iis in locis, unde Scribarum oscitantia & imperitia illam ejece-
rat. Hæc iterum *Cappellus*. Crambem nempè bis coctam reco-
quit, erroremqve in Parente ipsius, nec non in *Hug. Grotio Comment.*
ad h. l. à B Calovio Bibliorum Illustr. Tom. I. p. 1123. *sqq.* satis damna-
tum, suum facit. Qvia enim *Psalmus CXLV.* juxta seriem Alpha-
bethi infinitam Numinis eminentiam delineat, admiratur, ea sedulos
verbi divini Scrutatores ad se rapuit consideratio, qvî unicæ literæ Nun
nullus in hoc versu datus sit locus, reliquis licet literis ordine se so-
lito jucundè excipientibus. Firmo id obtutu contemplatus *Cappellus*,
Senior, infantem cum balneo effundere, incuriæ, imperitiæ accusare
Librarios, fontium corruptionem crepare, atqve suam sic opem, su-
um supplementum spondere, præstare contendit. Vestigia Paren-
tis

tis presso pede haud degener sequitur Filius. Enim verò nos (α) deprecamur meritò omnes à *Cappello* latas suppetias, firmiter credentes, non placuisse Spiritui S., medio alphabetho literam Nun inserere. Varii quidem Autores, nimia curiositatis abundantia ducti, omissionis hujus sufficientes reddere causas adlaborant. *Rabbi Salomo*, magni nominis apud Contribules Doctor, mentem suam ita exprimit *in Comment. ad h. l. Bibl. Buxtorff fol. 770. col. 2.* מצאתי נון חסרה מאלפא ביתא לפי שראה דוד בה מפלה קשה נפלה ולא תוסיף קום בתולת ישראל וחזר וסמכה ברוח הקודש סומך ה׳ לכל הנופלים i. e. *Deprehendo Nun deficiens in Alphabetho. Nam vidit David in illa* (litera Nun) *ruinam vehementem* (prædictam *Amos V.* 2. hisce verbis): *Cadet neque amplius resurget virgo Israel. Eapropter transiit* (ad literam ם) *& fulcivit illam Spiritu S.* (scribens ψ, 14.): *Sustentat Dominus omnes cadentes. R. David. Kimchi* autem *ad h. l.* ignorantiam suam ingenuè confitetur. Neque nos horizontem nostrum transcendere cupimus, sed quam lubentissimè cum *Ambrosio Lib. I. de Vocatione Gentium Cap. IIX.* ingeminamus: *Ne appetamus habere cognitum, quod DEUS voluit esse secretum.* Adhæc infinita etiam naturæ miracula nos latere benè novimus. Legè *Voëtii disp. de Ignorantia docta, dispp. selectar. Tom. III.*, *Becmanni Lineas Doctr. Moral. Cap. IV. §. 17. p. 102*, *B. Seligmanni disp. de iis, in quibus Philosophia dormitare, vel hærere* videtur, & Max. Rev. *DN. D. Æpini*, Fautoris nostri atque Amici æstumatiss. disp, *de iis, quæ Theologia naturalis ignorat*, hab. præsid. *B. D. Lindemanno*, aliamque *de ignorantia docta.* (2) Si supplementum hic excogitare necesse videtur *Cappello*, edoceat quæso me sequentia, hactenus ignorata. Cur Spiritus S. *in Psalmo CXIX.* octo vicibus integrum recensuit alphabethum, ita ut singuli octo versus certam ab initio repræsentent literam. Undè *Masorethis* memoratus Psalmus audit אלפא ביתא רבתא, *Alphabethum magnum.* Potuissetne quatuor, novem aut decem vicibus singulas alphabethi literas percurrere? Exclamare cogimur: *Si placuit Domino, dicere plura nefas!* Cur in Threnis *Jeremiæ Capp. I. II. & IV.* versus singuli incipiunt à singulis Hebræi alphabethi literis; in *tertio* autem, servato ternario numero, à singulis literis inchoantur tres versus; solum *quintum Caput est ἀναλφάβητος* & literarum seriei minimè alligatum. vid. *Walther. Offic. Biblic. §. 972. p. 441.* Exclamare cogimur: *Si placuit Domino dicere*

dicere plura nefas! Cur *Psalmo XXV.* desiderantur Beth, Vav, & Kuph, & contra ambo versus 18. & 19. incipiunt à ר. Insuper loco ת agmen ducit litera פ v. 22. Exclamare cogimur. *Si placuit Domino, dicere plura nefas!* Cur *Ps. XXXIV.* omittitur ו? Aut si medio *v. 6.* illam literam ad esse causaris; Cur post finitum alphabethum *versus* 13. subjunctus est? Exclamare cogimur: *Si placuit Domino, dicere plura nefas!* Cur *Ps. XXXVII.* artificium alphabethi paulisper est absconditum, ita ut post Alphabethi seriem, sibi succedentem, semper alternis vicibus immisceatur versus, artificio initiali destitutus? Cur literæ ע nullæ hic relinqvuntur partes. Nempè: *si placuit Domino, dicere plura nefas!* Et ut brevibus plura complectar, manifestum ex allegatis redditur, Spiritum S. non adeò rigidè se semper literarum seriei alligasse. Cur ergo nimia sollicitudine investigare studemus literam studio procul dubio omissam? (2) *Licet LXX. aliiq;* nonnulli Codices *Græci*, cum *Vulgato, Arabe, & Syro* integri versus 14. supplementum nobis sistant; Attamen altum de eo agitur silentium apud *Chaldæum, Campensem, Hieronymum, Aqvilam, Theodorethum, Lutherum.* (3) Jnfirmo tibicine nititur argumentatio: LXX Interpretes supplent v. 14.; Ergo incuria Librariorum is excidit, periitq; ex Codice Hebræo. Qvin potius *verisimile videtur, qvod Græci Interpretes, cum versum à litera* נ *trahentem initium non invenirent, & defectum aliqvem suspicarentur, versum seqventem 17. in locum illum retraxerint, primo saltem & qvarto verbo immutato*, imitor linguam *B. Glassii Philol. S. p. m.* 101. (4) Et cum adeò Interpretes Græci ut homines humani aliquid pati potuerunt, qvis coget me frigidam hisce suffundere Interpretibus, eorumque commentum, ut divinitus inspiratum, corde linguaqve amplecti, venerari. Nonne eodem jure alium versum à litera נ auspicantem inspergere liceret? (5) Et etiamsi suppleri versus 14 deberet, egregiè tamen decipitur Cappellus, qvando tanqvam genuinæ lectionis exemplar commendat hæcce verba: נאמן יהוה בדרכיו וחסיד בכל מעלליו *Fidelis est Dominus in viis suis, & beneficus in omnibus operibus suis* Nam in variis Exemplaribus Græcis deest vox πᾶσι, *omnibus.* De eo ergò adhuc disqvirendum Critico fuerat, an illa vox sit tanqvam spuria rejicienda, an tanquam avthentica admittenda. vid. pluribus *Glass. l. c. Buxtorffii Anti-Critic. p. m.* 437. *sq. Geier. Comment. h. l. col.* 2465. *B.*

 Pfeifferi

Pfeifferi Thesaur. Hermeneut. pag. m. 118. Critic. S. pag. m. 1691 Walther. Harmon. Script. p. m. 517.

§. XV. Hactenus Dictator dictatoria usus est potestate. Ne verò gratis Codicis nostri Ebræi lectionem maximè genuinam rejicere videretur, umbone *Joh. Clerici* tectus, præsidium haud lubricum, si fabula vera est, qværere satagit in *antiqvissimâ veterum Hebræorum poësi.* Sed profecto tam infirmo fundamentum Cappellianum nititur fulcro, ut vel sibilo qvodam leviori diffluxi possit, dissiparive. Loqvere ergò *Cappelle*, ut te videamus. Ita *p. 295. sq.* Demonstrabimus, inqvit, proximè ad verum accedere memoratam supra de antiqvissima Hebræorum poësi sententiam Joan. Clerici, qvem perenni laude ornabit exqvisita eruditio, & sagacitas, acre judicium, difficilium operum numerus, & veritas, invidiæq; contemptrix fortitudo in propugnandis veritatis Christianæ nonnullis capitibus maximi momenti. Ille igitur existimat, eam poësin, cujus vestigia multa sacer codex Hebraicus exhibet, hâc re duplici constitisse maximè: numero syllabarum, & sono similiter desinente. Ac numerum qvidem illum sæpè ita certum exstitisse compertum est, ut plures versus numero syllabarum prorsus, aut fermè pares essent inter se; Sæpe etiam numerum illum varium fuisse constat & qvasi incertum; qvia versuum mensura major, minor, mediocris diversimodè fiebat; itidem ac in Italorum Gallorumq; versibus, qvos ii nuncupant irregulares: at in qvibus tamen aliqva lex est, etiam longitudinis, pendens â proportione, & venustate qvadam. Qvod ad sonum similiter desinentem spectat, hæc similitudo erat non unius modi, sed triplicis. Sæpè enim ea adhibita fuit in versuum fine, sæpè in medio, interdum in principio. Tertia hæc lex debet adjici: qvæ qvidem gemina est, non secus ac duarum præcedentium prior. Nempe 1. in sacro codice hebraico sæpe numerosæ orationis, seu metricæ ratio iterat semel, bis, ter, aut amplius, simulqve eodem ordine disponit unam eandemqve vocem, aut easdem voces. 2. Metricum illud artificium sæpè disponit eodem ordine, nec sine certa proportione, voces non easdem, sed aliqvatenus similes. Ad facilius clariusqve pernoscendas 3. proxime expositas leges, artemqve iis fundatam, haud leve adjumentum est hæc 4 lex, vel potius verissima observatio. Nimirum si spectemus eam versuum divisionem, qvæ in omnibus sacri Codicis Hebraici exemplaribus per aliqvot secula ad

nos

nos usqvè permansit, sed qvam tamen divino afflatu factam fuisse nemo prudens, aut antiqvitatis gnarus dixerit; manifestum erit, hebraicorum carminum Vet. Testamenti versibus singulis quam sæpissimè contineri distinctos duos versiculos, sivè duo hemistichia. Interdum unus versus tres continet versiculos, interdum qvatuor. Hujus postremi modi aliqvot exempla sunt in Threnis seu Jeremiæ lamentis; & alibi nonnulla sparsim. 2. Modi haud rara sunt exempla, hîc illic sparsa: in qvibus est Psalmi CIII. versus postremus: & Ps. CXLVI. v. 6. 7. 8. 9. Psalm. I. v. 1. & Psalmi LXXXIV. v. 4. commodè in 3, vel 4. versiculos dividatur. Psalmi XLIV versum 4. commodius multò & elegantius in 4 versiculos dividas: ita ut 2 postremæ voces 4. faciant versiculum. Itidem Psalmi II. versum 12. sive postremum, in 4. versiculos aptius multò dividas, qvam in tres. Hoc autem utrumqve de 2. illis verss. Psalmi II. & XLIV. ex iis patebit, qvæ ad metricam ejus Psalmi rationem infrà notabimus. 1. modum, qvo versus unus 2. versiculos complectitur, passim, ac ferè ubiqve reperias in Psalmis, Jobo, Cantic. Canticorum, Proverbiis; exempli gratia, in hujus libri postremis versibus duobus & viginti, qvibus continetur uxoris virtute præstantis encomium. Itidem in Mosis, Deboræ carminibus, aliisqve. Hæc Cappellus,

§. XVI. Non possumus omni absqve animadversione Nostrum hic dimittere. Hinc (1.) licet adamatum ipsi Clericum sua eruditionis laude defraudari nolimus, probè conscii, virtutem & in hoste laudandam esse; Attamen nescio, an is Socinismi suspicionem satis â se sit amolitus, & annon magis nonnulla veritatis Christianæ capita profligatum eat, qvam propugnatum. Consule *Disp. meæ inaug. de qvæst. An.* Ανθρωποπαθειαι *sint vestigia Gentilismi, Præfat*: Sed hæc parum hic faciunt ad rhombum. (2.) præsupponimus, poësin Hebræorum vel esse *priscam*, â Scriptoribus sacris in libris, metrici qvi vulgò audiunt, *Jobo* nimirum, *Proverbiis*, & *Psalmis* propinatam; vel *recentiorem*, qvæ qvingentis circiter abhinc annis â Judæis seqvioris ævi in imitationem poëtices germanicæ excogitata est. *De illa* jam qværitur, non de *hac*, (cujus tamen intimiores recessus patefecit *Theodorus Ebertus in Poëtica Hebræorum*, ac in Compendio *Dn. D. Opitius in Atrio Appendic. II. pag. 76. sqq.*). Qvapropter prisca illa Davidis, aliorumqve poësis secundum novas recentiorum Hebræorum leges exigi neqvit, neqve cum *Cappello*, asse-

verare audacter licet, veterum juxta poësin, literam schevate mobili constantem, ad syllabam perficiendam sufficere, id qvod recentioribus arridere constat. (3) Vitio itaqve non verteremus *Clerico*, *Cappelloqve*, sed laudi potius duceremus, genuinam priscæ poëseos indolem investigare, dummodò & firmioribus gauderent fundamentis, & integritatem sancti Codicis servarent illibatam, uti jam monuimus *supra §. III. in fin.* Sed utrobiqve novaturientia hæcce ingenia veluti ad lapidem offendiculi impingere cernimus. Existimat nempè cum Clerico, *Cappellus*, numero syllabarum, & sono similiter desinente poësin Hebraicam absolvi. Sed hem! qvam lubrica, qvam incerta proferuntur, certè nubem pro junone obtrudi propitia asseres veritate. Hinc doctissimus *Sal. van Till in Tract. Digt-Sang-En Speel-Konst Soo der ouden, als bysonder der Hebreen &c. Part. II.* aliud de poësi Hebræorum judicium ferre haud detrectat. Mentem ejus seqventem in modum declarant *Lipsienses in Actis An. 1693. p. m. 74: Poësis Hebræorum æstimanda non est ad normam Græci Latinique metri, nec ex rythmis, qvos frustra ὁ δεινὸς in Psalmis qvæsivit, sed judice Cl. Borrichio, ex vocum symmetria, syllabarum numero, & accentuum ratione, nec non augusta illa, & à plebe submota dictione sacrorum Vatum. Commendat etiam Poësin Hebræorum in Psalmis conspicuam, qvod non solum in materia versatur nobilissima, secus ac Poëtis Ethnicis solenne est, sed figuras qvoqve continet non affectatas, sed genuinas, Deoq; Autore Suo dignas; singulares casus & eventa refert; varietate gaudet gratissima, gravissimoqve stylo.* Adhuc alia via incedit *B. Augustus Pfeifferus in diatribe de Poësi Ebraica*, qvam postmodum inseruit *Dubiis vexatis p. m. 527. sqq.* Is enim *l. c. pag. 536. sqq.* nullum certum metrum, ad leges Poëseos Europeæ, seu Orientalis hodiernæ adstrictum, in libris metricis venatur, sed poësin Veterum Hebræorum in certo vocum ac syllabarum numero, ad melodiam saltem accommodato, etiamsi cætera planè libero, consistere docet, qvemadmodum cantiones qvædam ecclesiasticæ numero qvidem syllabarum congruunt ad certas & notas melodias, omnibus interim metricis legibus solutæ, e. g. *Puer natus in Bethlehem, &c. Spiritus S. gratia &c.*, qvo spectat qvoqve illud: Meine Seele erhebet den HErren etc. Planè incastra B. Pfeifferi secedit *Joh. Leusdenius in Philologo Hebræo Dissert: VII. §. 34. p. m. 81.* scribens: *Carmina sunt, qvæ cantui fuerunt accommodata, sed sine certo metro. Verum cæteri libri nunqvam vocantur carmina, nec*

unquam fuerunt cantati, neqve etiam cantui fuerunt accommodati. In carminibus ergò Vet. Test. non est merè soluta oratio, qvalis invenitur in cæteris libris, sed est oratio syllabarum & vocum certo numero ad melodiam adstricta. Vide hæc probabilibus rationibus doctè probata ab August. Pfeiff. in Diatribe de poësi Hebraica. Hactenus Leusdenius! (3) Dum verò *Cappellus* vestigia saltem qvædam pristinæ poëseos in Codice sacro comparere fatetur, debuisset ex canæ antiqvitatis scriniis haud contemnenda depromere documenta, qvibus dictis suis fidem faceret, non verò violenta qvasi manu ex amplissimo Scripturæ *S.* horto unum vel alterum decerpere, atq; exindè fucum aliqvem suæ sententiæ conciliare, imò pessima qvadam audacia sacri Codicis textus castrare, pervertere, immutare. Et si qvoqve *Cappellus* veterem poëseos Ebraicæ rationem eo, qvo suscepit, modo apertam in lucem protraxisset, adeò ut omne tolleret punctum, cunctorumqve in se oculos converteret, oportuisset eum discrimen constituere inter *poësin vulgarem*, qvæ communi usu trita erat, & *poësin sacram*, qvâ Scriptores sacri fuêre delectati, (cum præceptis Clerici Cappelliqve metricis Scripturæ textus haud respondeat) atqve hoc discrimine supposito, qvædam ex Codice sacro desumere vestigia, illam rem illustrantia, non verò summa imis miscere, atqve pro lubitu rythmos, sonosq; similiter desinentes in sacris Prophetarum scriptis effingere (4) Tussim tantummodò movet Cappellus atqve gravedinem, qvando nihil certi in re, de cujus certitudine is adeò gloriatur, determinare potest. Mox enim poësin pari syllabarum numero, mox verò impari constitisse arbitratur. Et ubi ad sonum invicem convenientem accedit, mira qvadam varietate similitudinem illam mox in versuum fine, mox in medio, mox in principio collocat, si verò dicendum, qvod res est, precaria talis convenientia, etiamsi modò hîc modò illic qværatur, in admodum paucissimis versibus conspicitur; de qvibus tamen omnibus melius judicabimus infra, in evolutione exemplorum Biblicorum. (5) Qvando *Cappellus* existentem in codicibus nostris versuum divisionem divino afflatu factam fuisse negat, nimis liberaliter atqve satis pro imperio aliqvid ebuccinat, quod non suponendum, sed probandum erat. Etiamsi enim *Buxtorffius in Tiberiade P. I. cap. XI p. 286. Soph Pasuk* sivè duo puncta, in fine versus extantia, à Viris demum Synagogæ magnæ apposita autumet, cum Judæorum sententia textus sacer antea omnibus distinctionum notis caruit, sententiam tamen illam nondum satis probatam putamus cum *B. Pfeiffero Critic. S. Cap. I. Sect. I. §. 20. p. 11.* (6) Miramur lubri

bricas Cappelli, qvàs fert, leges, magis miramur, exemplis uti Autorem nihil omninò probantibus. Ille enim *ex Pſ. CIII* verſu poſtremo ſivè 21, item *ex Pſ. CXLVI*, 6. tria exſculpere conatur hæmiſtichia, ubi tamen ne Argus qvidem plures qvam duas propoſitiones viderit. Et *Pſ. XLIV*, 4. pariter ac *Pſalmo II*, 12. vix plura qvam tria emergent hæmiſtichia, licet *Cappellus* elegantiæ ac commoditati per qvatuor interſectiones conſulere amet. (7) QvandòNoſter illum modum, qvo unus verſus duos complectitur verſiculos, *ferè ubiqve in Pſalmis, Jobo, Cantico, ac Proverbiis* reperiri cauſatur, qvid aliud niſi lubricos monſtrat greſſus, & rei totius incertitudinem prodit per particulam reſtringentem: *fere ubiqve*. Et annon fallit, falliturq; *Cappellus, Prov. XXXI*, 10. *ſqq.* usq; ad finem Capitis, in ſingulis verſibus duo admittens hæmiſtichia, neqve plura, neqve pauciora, fallitur, inqvam, qvia verſus 12. unam tantum expreſſam ſiſtit propoſitionem: *Retribuit* (mulier) *ipſi bonum, & non malum omnibus diebus vitæ ſuæ*. Si verò virtualiter ac implicite duas efformare tentas, h. m: *Retribuit ipſi bonum*, item: *& non retribuit ipſi malum*, non poſſum, qvin *Cappellum* nihilominus ἀβλεψίας accuſem, cum hac ratione *verſus* 15. non duo, ſed tria ſuo ſub ambitu comprehendat hæmiſtichia, h. m. *Surgit* (mulier) *in protractione noctis*, item: *Et dat cibum domui ſuæ*, item: *& demenſum* (dat) *ancillis ſuis*. Obiter adhuc obſervetur, Conjugem probæ notæ in citato Proverbiorum capite non ſolum eximiis ornari laudibus, ſed etiam juxta alphabethi Hebraici ſeriem in cœlum tolli. Conf. *Diſp. meam de ſexu ſequiori, eruditionis fama coruſco Cap. I. §. IV. p. 13.*

§. XVII. Enim verò pedem qvoqve promoveamus oportet ad exemplorum copiam, qvibus Cappellus qvatuor à ſe prolatis legibus lucem accendere nititur. Audiamus *Cappellum l. c. p. 298. ſqq.* perorantem: Primum ſpecimen ducatur ex *Pſ. I*, 1. & penultimo. „Finge „ enim, qvod eſt longè veriſimillimum, Pſalmi I. verſu 1. contineri „ tres verſiculos, hi aptè ſic diſtingventur.

„ אשרי האיש אשר לא הלך בעצת רשעים
„ וברך חטאים לא עמד
„ ובמושב לצים לא ישב:

„ Hoc modo extremus verſiculus primus eodem ſono deſinit cum me„ dio verſiculo ſecundo, medioqve itidem verſiculo tertio. Nam hæc „ tria vocabula רשעים/חטאים/לצים eodem ſono deſinunt.

Præ-

Præterea primi versiculi mediæ voces sunt לא הלך; Secundi po-
stremæ לא עמד: tertii postremæ לא ישב. Tres autem hi vocum
complexus multis modis, & perfecte conveniunt. Constant enim
singuli duabus vocibus, qvarum prior in eorum unoqvoqve est לא;
posterior est הלך, vel עמד, vel ישב. Hæcqve tria verba, simil-
lima inter se respectu Grammaticæ flexionis eundem habent sylla-
barum, literarum, vocalium numerum, easdemqve vocales, ac pro-
indè eodem sono desinunt. Propius tamen aliqvantò ad verum ac-
cedere videtur, primi Psalmi primo illo versu qvatuor contineri versi-
culos; qvorum secundus hic sit, בעצת רשעים: tres autem reliqvi,
iidem sint, ac supra sunt positi. Et in qvatuor versiculis ars & con-
venientia metrica haud minus conspicua est qvam in tribus versicu-
lis, qvos modo excussimus: imò utrobiq; est simillima, ac fere ea-
dem; sed aliqvantulo concinnior videri potest in qvatuor versiculis
qvam in tribus. Hæc igitur aptè, & diversimodè inter se conve-
nientia, qvis sorti temerariæ; non industriæ, & arti tribuat? Qvem-
admodum autem Ps. I. v. 1. in 3. vel 4. versiculos: sic penultimus
versus in 2. versiculos commode dividatur, nempe.

על כן לא יקומו רשעים במשפט
וחטאים בעדת צדיקים

Prioris versiculi voces duæ postremæ, simulqve tres, qvibus
constat posterior versiculus, eodem sono desinunt alternis: h. e. qvin-
qve illarum vocum 1, 3, 5. צדיקים/ וחטאים, רשעים, simi-
liter cadunt. Itidemqve 2, 4. בעדת/ במשפט eodem sono desinunt,
sed qvi ab illo altero diversus est.

§. XIIX. En sapientia Cappelliana! Verum (1) videtur Autor perpetuis dubitationum fluctibus agitari. Nam fingi saltem vult, tres in hocce versiculo primo contineri intersectiones, & tamen illud *pro longè verisimillimo* venditat. Qvomodò autem, qvæso, mero mentis figmento opus est, si maximam verisimilitudinem ipsa Textus inspectio menti Autoris & inspirat, & imperat? Et annon tres propositiones in hoc versu qvilibet in arte Logica Tyro deprehendere aptus natus est? Certè *prima* propositio ita se habet: *Non ambulans in consilio impiorum maximè beatus est.* *Secunda* huc redit: *In via peccatorum non stans maximè beatus est.* *Tertia* ita concipiatur oportet: *In consessu irrisorum non sedens maximè beatus est.* Qvis ergò plures qvam tres palmarias intersectiones comminisceretur, Idem

qvoqve

qvoqve accentuum ſvadet artificium. *Tertiæ* enim atqve ultimæ verſus diſtinctioni præeſt accentus *Silluk*. *Secundam* monſtrat accentus *Athnach*. *Tertiam* deſignat accentus *Merka Mahpacharus*. Nemo enim niſi hoſpes in literatura Hebraica neſcit, in Libris metricis, qvos ſalutant, finem verſus ſibi vendicare *Sillukum*, poſtmodum in duabus majoribus ſubdiſtinctionum ſedibus, ſi illæ ſcil. adſint), certos collocari Reges, & qvidem *Athnachum* in Majori, *Merka Mahpachatii in* maxima. vid. *Weimari Doct. Accent. p.* 41. Non poſſum, qvin inſimul egregiam in hocce „ verſu 1. ἀνάβασιν ex ore *B. Glaſſii Philol. S. pag.* 1462. delineem: „ Triplex, inqvientis, Climax eſt: (1) Perſonarum, qvarum primus gra„ dus eſt רשעים impiorum, ſeu eorum, qvi improbo ſunt animo: „ Secundus חטאים Peccatorum, qvi, qvod animo neſarie cogita„ runt, opere ipſo ſecurè adimplent: Tertius לצים Irriſorum, qvi „ in ſua inſuper gloriantur malitia, & omnes admonitiones, omnem „ religionem, pietatem & juſtitiam contemtim ſubſannant ac deludunt. „ (2) Vitæ inſtitutorum. Improbis enim conſilium tribuitur, h. e. „ malitioſæ, & inqvietæ cogitationes, machinationesqve: Peccatori„ bus aſſignatur via, h. e. in impietate progreſſus, & conſuetudo pra„ va: Illuſoribus denique datur cathedra ſeu ſedes, hoc eſt obſtinatio „ in malitia exſultans, ac regnans, (3) Actionum. Improbi ambulant „ in conſilio ſuo, h. e. ita ſua conſilia inſtituunt, ut finem ſuum per „ fasq; nefasqve obtineant. Peccatores in via ſua peſſima conſiſtunt, „ h. e. perſeveranter permanent. Illuſores in cathedra ſua planè con„ ſident, h. e. in malitia animi ſui planè ἀπηλγηκότες ſunt. Perplacent qvoqve verba *Ben Melech in Michlal Jophi h. l. f.* 163. *b.* פירוש וכדרך אינו דרך ההליכה אלא המנהג ועסק האדם ומעשהו כמו והורעת להם את הדרך ילכו בה ויאחז צדיק דרכו מעשות דרכיך דרכי ספרתי וחדומות להם ופירוש לא עמר לא נתעכב עמהם ולא עמד בחברתם כדי שלא ילמד מעשיהם ואמר לא ישב כי בשלושה אלה כל הכונת הארם או הולך או עומד או יושב. i. e. *Exponi debet vox: Et in via, non de via ambulationis, ſed de conſuetudine, & ſtudio hominis, opereqve ipſius, uti fit* (*Exod. XIIX*, 20.): *Notam facies eis ipſam viam, per qvam ambulabunt.* (Job. XVII, 9.): *Et contineat juſtus viam ſuam.* (Eſ. LVIII, 13.): *ne facias vias tuas.* (Pſ. CXIX, 26.)

vias

vias meas recensui, & quæ sunt his similia. Interpretatio autem vocum: *Non sterit, huc redit: Non commoratus est apud illos, neque substitit in sodalitio illorum, ne disceret actiones illorum. Dicit autem* (Scriptura): *Non sedit, quia tribus hisce omnis humana dispositio absolvitur. Aut* (enim) *ambulat, aut stat, aut sedet.* At è diverticulo in viam. Itaqve (2) Nil nisi inania cerebri sui somnia enarrat Cappellus, qvandò convenientes sonos, licet modo in fine, modo in medio occurrentes, haud tamen absqve consilio sibi invicem respondere, & novam suam poësin statuminare affirmat. Qvis enim tam obesæ esset naris, ut statim absqve ambagibus album adderet calculum? Nonne enim eo modo hinc inde in libris historicis, aliisqve metrici artificii nesciis, absqve ullo negotio versus investigare licebit? E. g. *Gen.* XI. *v.* 13. legimus: ויחי ארפכשד אחרי חולידו את שלח שלוש שנים וארבע מאות שנה וילד בנים ובנות. *& vixit Arphachsad, postqvam genera sset Selachum, qvadringentis tribus annis, ac generavit filios, filiasqve.* Certè sapientiæ Cappellianæ alumnus, & hic mysteriis inhiaturus, indice digito monstrare posset similitudinem peregregiam vocum שנים & בנים etiamsi prior in medio prioris hæmistichii, & posterior pariter ante finem versus conspiciatur. Imò gratularetur sibi illam convenientiam eò magis, qvia priorem vocem שנים excipit præfixum ו, id qvod qvoqve in posteriori nomine בנים fieri nemo non videt. Et cui ulterius desipere placeret, is neqve id relinqveret intactum, in priori versus parte penultimo loco adhiberi numerale: מאות, accum illo amicè conspirare posterioris partis ultimam vocem: בנות. Sed tempus profectò irreparabile inutiliter tereret, ac magno conatu magnas nugas diceret, qvi talibus lusibus se vellet oblectare. Neqve est, qvod Cappellus de reliqvis similitudinibus adeò glorietur, consistentibus in hisce tribus: לא ישבלא עמרלא הלך. Si enim exindè ruinosæ poësi patrocinium aliqvod conciliari putas, næ in libris non poëticis ponderosiora similitudinis indicia commonstrabo, & tamen poëtico artificio illa accepta ferre renues. Adesdum Evangelista Vet. Testamenti, Esaias! Sanè is in hæc momentosa erumpit verba *Cap. I, 8.* ונותרה בת־ציון כסכה בכרם כמלונה במקשה כעיר נצורה i. e. *Relicta enim est Filia Zion, uti tentorium in vinea, uti tugurium*

in cucumerario, uti civitas obsessa. Annon hic tres latitant propositiones: *Relicta est filia Zion instar tentorii in vinea*; (Relicta est) *instar tugurii in cucumerario*; (Relicta est) *instar civitatis obsessæ*? Annon eodem qvoqve sono gaudent *prima* vox נותרה/ *penultima* primæ propositionis כסכה; pariter *prima* & *secunda* vox in altera propositione כמלונה במקשה; nec non ultima vox tertii asserti נצורה? Annon qvoqve tribus vicibus adest particula כ *in* כסכה/ *in* כמלונה/ in כעיר? Age fixis contemplare obtutibus Cap. *Esaiæ LXI*, 1. Sanè si novum poëseos Cappellianæ inventum qvalemcunqve meretur applausum, Esaias Poëtam agit excellentissimum, atqve in ligata, non prosa scripsit, inqviens: הנה עבדי יאכלו ואתם תרעבו הנה עבדי ישתו ואתם תצמאו הנה עבדי ישמחו ואתם תבשו *Ecce servi mei comedent, vos autem esurietis, ecce servi mei bibent, vos autem sitietis, ecce servi mei lætabuntur, vos autem pudefietis.* Annon hic tres occurrunt palmariæ assertiones: *Ecce servi mei comedent, vos autem esurietis*; *Ecce servi mei bibent, vos autem sitietis. Ecce servi mei lætabuntur, vos autem pudefietis*? Annon semper præmittitur particula הנה *ecce*, atqve sic tribus distinctis vicibus repetitur? Annon in qvalibet palmaria assertione bis occurrit verbum desinens in ו hoc modo: יאכלו *comedent*, תרעבו *esurietis*, *item*: ישתו *Bibent*, תצמאו *sitietis*, tandem: ישמחו *lætabuntur*, תבשו *pudefietis*? Annon ubiqve primùm cernis verbum tertiæ personæ masculini generis pluralis numeri, & postmodum verbum secundæ personæ masculini generis pluralis numeri? Junge, sis, dictum *Jer. IIX*, 7. ubi tibi vel invito, nescio qvot obviam fient convenientiæ. Qvis vero inepto λογισμῷ inde colligeret: Ergò *Esaias* pariter atqve *Jeremias* metricum aliqvod artificium posteritati relinqvere in deliciis habuêre. (3) Qvandò *Cappellus*, qvi videtur sibi scire, qvomodò Jupiter junonem duxerit uxorem, propius ad verum accedere dicit, in primi Psalmi primo versu qvatuor contineri versiculos, è diametro sibi ipsi repugnat. Nam antea longè judicabat verisimillimum, tres inibi dari versiculos, id qvod nemo audiens aliter interpretari poterit, ac illam sententiam, qvâ tres statuuntur versiculi, verisimilitudine omnes alias superare, vel eandem omnium proximè ad verum accedere. Qvomodò itaqve jam, Cappelli juxta effatum, adhuc propius ad verum accedere id potest, comprehendi versu primo Psalmi primi qvatuor versiculos

culos. Liberet Cappellus, si vir est, duo hæcce asserta à contradictionis labe! Annon enim Cappellus ingenue confitetur, ternarium versiculorum numerum esse verisimillimum, & tamen postea, qvasi sui oblitus, eo ipso, qvia qvaternarium numerum magis verisimilem pronunciat, strenuè inficias it, ternarium numerum verisimillimum esse. Transeant hæc. (4) Neqve movemur Cappellianis blanditiis: *Hæc apte & diversimodè convenientia, qvis sorti temerariæ, non industriæ & arti tribuat*? Nos enim in contrarium ingeminare haud erubescimus. Hæc diversimode convenientia, qvis industriæ & arti poëticæ, non verò sorti tribueret? Ergone etiam *Esaias* & *Jeremias*, qvos supra audivimus, legibus qvoqve metricis orationem suam ponderosam alligarunt? Non crederem. Qvid? qvod Jambum reperies *Matth. VII*, 7. pentametros *Luc. XIV*, 30. *Rom. VI*, 13. hexametros *Luc. XXI. v.* 18, docente *Pfeiffero Dub. vexat p. m.* 530. Annon hoc casu evenit? Pariter in versione Germanica Lutheri *Gen. XXVI*, 8. offendes metrum latinis consuetum: Daß Isaac scherzet mit seinem Weibe *Rebecca*, item *Mal. II.* 7. des Priesters Lippen sollen die Lehre bewahren. An etiam hæc consilio transcribes? Tandem versus fortuitos in mediam orationem solutam se nonnunqvam insinuare nonnulli observarunt, huc referentes seqventia exempla, e. g. *Gen. III*, 19.

Denn du bist Erden/
Und solt Erd werden.

Luc. I. v. 38. Sieh' ich bin des HErren Magd/
Mir geschehe/wie du gesagt.

Memoratu qvoqve digni sunt versus aliqvi latini planè fortuiti v. g. *l. 9. de R. I.*

Semper in obscuris, qvod minimum est, seqvimur.

Uberiorem proventum subministrat Celeb. *Joh. Christoph. Wagenseilius in Præcepeis de poësi Germanica*, qvæ habentur *in Pera Librorum Juvenil. Loculam. I. p. m.* 743. Qvodsi itaqve forte fortuna integri versus in solutam orationem irrepserunt; Qvidni qvoqve rythmicum aliqvem ornatum & in Psalmis & alibi admiraremur, neqve tamen concluderemus: Ergò Libri hi constant carmine metrico rythmico. Verbo: *Una hirundo non facit ver: unus vel alter versiculus librum metricum non arguit*, dicente *B. Pfeiffero l. c. p.* 530.

§. XIX. Progreditur *Cappellus pag.* 309: Penultimus versus in duos versiculos commode dividitur nempe

על כן לא יקומו רשעים במשפט
וחטאים בעדת צדיקים

Prioris versiculi voces duæ postremæ, simulqve tres, qvibus constat posterior versiculus, eodem sono desinunt alternis: h. e. qvinqve illarum vocum 1, 3, 5, רשעים וחטאים צדיקים similiter cadunt. Itidemqve 2, 4, במשפט בעדת eodem sono desinunt, sed qvi ab illo altero diversus est.

§. XX. Enim verò licet de hoc qvoqve exemplo ex modò allatis judicare in proclivi sit, forte fortuna scilicet istiusmodi vocum positum emersisse, attamen si *Cappellus* lubricum poëseos suæ inventum hoc qvoqve fulcro sustentare se posse confidit, confidenter adstruam, Mosen qvoqve carminice dilectum DEI populum compellasse, his verbis *Deut. XII. v.* 17. לא תוכל לאכל בשעריך מעשר דגנך ותירשך ויצהרך ובכורות בקרך וצאנך וכל נדריך אשר תדור ונדבתיך ותרומת ידך. *Non poteris comedere intra portas tuas decimas frumenti tui, aut musti tui, aut olei tui, vel primogenita armenti tui, aut gregis tui, neque votiva tua, qua vovebis, aut voluntaria tua, aut oblationem manus tuæ.* Certè hic voces, qvarta, sexta, septima, octava, decima, undecima, decima tertia, decima sexta, decima octava, eodem terminantur sono. Et qvi Cappellus ex uno alteroqve exemplo statam efformare audet legem, cum tamen qvam sæpissime in perinsigni Psalmorum apparatu nullum convenientiæ cujusdam sive vola deprehendatur sive vestigium. Consule, si lubet, (qvia fortuita Codicis Biblici evolutio illa loca oculis meis objecit) *Ps. CXLVII*, 2. 5. 10. 11. 15. 16. *&c.* & à justo me veritatis tramite haudqvaqvam aberrasse, edissere.

§. XXI. SECUNDUM jam Cappelli SPECIMEN prodit in acie. Ita enim is *p.* 300. *sq.* perorat: In fine Psalmi postremi manifesta est vocum similiter cadentium qvædam alternatio. Nam versus penultimus terminatur vocabulo תרועה, versus autem ultimus sic se habet:

כל הנשמה תהלל יה הללו יה

Igitur versus penultimi vox ultima תרועה, & sex vocum, quibus constat

ſtat ultimus 2, 4, 6. nempè הנשמה—יה—יה/ hæ 4, inquam, eodem ſono deſinunt; diſtinctæ à ſe invicem ſingulæ interjecta unica voce ſoni ab altero illo diverſi, & trifariam diſſimilis. Nam hæ 3. voces כל/תהלל/הללו terminantur tribus modis, qui ſinguli diverſi ſunt à terminatione ה. Reliqvum hunc Pſalmum Clericus ad metricæ artis leges revocatum, & juxta eas ordinatum, ante annos 18. edidit. Sed Pſalmum illum poſtremum haud attingam amplius, poſtquam unum monuero, quod 3. legem à nobis adjectam duabus præcedentibus luculentè comprobat. Scilicet, hujus Pſalmi quinque verſus ſinguli 2. verſiculos continent, manifeſtè diſtinctos. Horum autem decem verſiculorum ſive hæmiſtichiorum, vox ubique eſt הללוהו/ excepto horum primo hæmiſtichio: quod cum haudquaquam poſſit habere initio הללוהו/ pro ea voce habet has 2. ferè cum illa easdem הללו—יה הללו—אל. Alterum eſt minimè indignum quod obſervetur de hoc poſtremo Pſalmo, deque 4. Pſalmis hunc proximè antecedentibus; nempè hæc qvinqve carmina inchoari & claudi hâc duplici voce: הללו—יה.

§. XXII. Diceres animum *Cappelli* maximè ad immortalem eniti gloriam, ipſiusqve conatus ad enodandam Hebræorum poëticam directos, prima laurea dignos eſſe, tam magnificè ingenii ſui ludibriis ſuperbit. *Conradum Celtem* accepimus primum apud Germanos coronam poëticam à Cæſare obtinuiſſe. Coronatus enim eſt manibus Friderici III. Imperatoris, in arce Noribergenſi, an. 1491. die 18 April. Unde ipſe de ſe canit:

Primus ego titulum geſſi, nomenqve Poëtæ:
Cæſareis manibus laurea nexa mihi.

Laurea quoque ejus adhuc hodiè Viennæ, ubi docuit, aſſervari dicitur. Vid. *Melchior. Adami Vitas Germanorum Philoſophorum p.m.* 14. a, ed. Francofurt an. 1705. fol. Hactenus quidem nemini tam licuit eſſe beato, ut veram metri Hebraici veteris rationem adinveniret. At *Cappellus* cum ſuo *Clerico* lauream affectat certiſſimam. Utinam in eum non quadraret illud tritum:

— — Pictoribus atque Poëtis
Quodlibet audendi ſemper fuit æqua poteſtas!

Interim (1) fatemur lubentiſſimè in Pſalmo 2. verſum penultimum &

& ultimum ſono ſimili exire. Sed an iſtud metrico artificio ſit vendicandum, ambigimus, imò negamus. Cur enim in reliquis carminibus atque Pſalmorum textibus iſtiusmodi leges metricæ non obſervantur? Cur in illis terminationes rythmicæ exulant? Cur imprimis decantata poëſeos ratio quoad verſus penultimum & ultimum neglecta eſt *Pſ. CXLVI.* 9. 10., *Pſ. CXLVII*, 19. 20. *Pſ. CXLVIII.* 13, 14 *Pſ. CXLIX.* 8. 9., de quibus ipſe Cappellus tanquam aliquid notatu haud indignum notari vult, illos pariter atque Pſalmum CL, inchoari, & claudi hac duplici voce הללוהו יה? conf. B. *Carpzovii* Troſt- und Leichen-Sprüche *Tom. IV. p.* 102. Reliqva quoque, quæ Cappellus affert in ſcenam, minimè à conſilio metrico, ſed gravitate dicentis majeſtatica proficiſci in ſolis jacet diſco (1) Aberrat Noſter à janua, ſingulos primos quinque verſus duo complecti hæmiſtichia, aſſerens. Nam *verſu Imò* tria ſegmenta ipſa ocularis comprobat inſpectio (3) Si poëſeos Hebraicæ regulæ in ſingulis ſingulorum verſuum hæmiſtichiis exigerent ejusdem vocis repetitionem, uti Noſter cauſari haud veretur, cur verſus ultimus elegantiâ hâcce deſtituitur, quippe qui verbum הללוהו non habet præmiſſum. Si vero illius ornatus defectum aliâ poëſeos præſtantiâ compenſatum dicas, ſanè neſcio, cur in paribus carminibus eadem ars pöetica pariter non eluceſcat, ſed anguſtis unius atque alterius verſus cancellis circumcludatur?

§. XXIII. Dum in Pſalmi CL conſiderationem dictatoria Cappelli poteſtate delatus ſum, novus egregii hujus cantici abuſus me ad ſe rapit. Hodierni nempe Diaboſorum Patroni, quicquid exteriorem ſolum ſpeciem mentitur, corradunt, inque uſum ſuum convertunt, errori ſuo patrocinaturi. Hinc ne ultimo quidem in Pſalmorum codice verſui parcunt, ſomniantes, Pſalmiſtam inauditi antea Evangelii, de futura à pœnis infernalibus liberatione & diaboloruм, & hominum damnatorum, præconem agere, eo ipſo dum erumpit: *Omnis halitus* (i. e. omne vivens) *laudet Dominum.* Sed mente capti videntur Fratres miſericordiæ, qvandò in viſcera Scripturæ Sacræ ſævire malunt, qvam præconceptis ſuis opinionibus nuncium mittere. En infallibile hujus rei ſpecimen! Divinus nempe Propheta cuncta viventia ad laudum divinarum ſacrificia peragenda invitat, hortaturve. Hinc poſtquam v. 1, 2, inenarrabilem DEI majeſtatem, infinitis elogiis

giis dignam, vivis delinearat coloribus, mox *v* 3. 4. 5. creaturas intelligentes, homines puta, excitat, ut variis instrumentis musicis, buccina, nablio, cythara &c. gloriam divinam promotum irent. Ne verò & aliæ creaturæ viventes à consortio celebrationis divinæ excluderentur, tandem David canit: *Omne vivens laudet DOMINUM.* Ex hisce sole clarius elucet, clausulâ præsenti homines, cum hominibus Angelos bonos, cum Angelis bonis bruta, aliaque viventia ad laudes divinas exstimulari, ita tamen, ut unice sermo de præsenti instituatur seculo, in quo homines existunt instrumentis musicis summum Numen celebrantes; Unde notanter quoque dicitur *v.* 1. *Laudate DEUM*, & *v.* 6. *omne vivens laudet DEUM*, non verò: omne vivens variis exactis periodis, imò (uti ineptè loqvuntur novi Evangelistæ) finitis æternitatum æternitatibus laudabit DEUM. Annon itaque cadaver qvoddam consequentiæ intrudunt novi Evangelistæ, argumentati: Divinus Rex homines in mundo existentes, & cum illis omnia viventia ad unanime divini Numinis præconium inflammat. Ergò tandem aliquandò homines damnati, nec non ipsi diaboli summæ, restituentur felicitati. E. illi ex barathro æternæ damnationis aliqvandò emergent? *conf. D. D. Henr. Georg. Neussenii* Wiederlegung des ertichteten ewigen *Evangelii P. 2. c. 9. §. 1. 2. p. 156. sq.* Neq; B. *Hieronymus* aliter qvam de præsenti mundo verba *Davidis* intellexit. Hinc *in Comment. in Ps. CL. v. 6. Opp. Tom. IIX. fol.* 103. a, voces: *Omnis spiritus laudet Dominum*, sequenti impertit commentatiuncula: *In hoc regno non caro, non sangvis, non corruptio, sed homo jam spiritalis totus effectus DEUM in spiritu (qui spiritus est) laudare non desinat; Qui nobis præstare dignetur, ut in hoc seculo factores legis effecti in hujus vitæ agone probati, & fideles inventi, spiritualibus ditati fructibus his mereamur adjungi concinentibus: Ipsi gloria & imperium cum æterno Patre & Spiritu S. & in cunctis secula seculorum, Amen!* Ceterum quis non cane pejus ac angue detestaretur istiusmodi novorum Evangelistarum de omnium rerum restitutione, commentum, qvod nititur Scripturæ Textu miserè lacerato, qvod olim in *Origine*, postmodum in *Anabaptistis* ab *Augustana Confessione Artic. XVII p.* 14. rejectum est, qvod extremæ securitati atqve vivendi licentiæ latas patefacit fenestras, (qvicqvid excusationis loco cumulent *Peterssenius*

in

in Mysterio Ἀποκαταστάσεως πάντων, s. im Geheimniß der Wiederbringung aller Dinge *P. I. pag.* 15, & *Georg. Paul. Siegvolk* in dem allen Creaturen zu predigen befohlenen Evangelio/ *Cap. XIII. pag.* 30. *seqq.* ex edit. *Petersenii* (in Appendice Mysterii sui), & quod tandem somniis firmatur. Sic *D. Petersenius l. c.* in der Vorrede p. 8. proprium somnium, P. I. *pag.* 143. 144. somnium matronæ cujusdam nobilis, in causæ suæ defensionem enarrat. Conf. contra æternum hocce Evangelium, *DD. Neusenium l. c*, *DD. Teuberum in argumento contra omnium rerum Apokatastasin*, *DD. Pfaffii Syllogen Quæstionum Theol. Quæst.* 42 *pag.* 79. *sqq.* *DD. Schelgvig. Synops p. m.* 400. *sqq.* *DD. Sonragii machinationes religiosas, ob quas Neoterici exagitant verba Artic. XVII. August. Confess.* §. IV. *sqq p.* 6. *sqq*, *Anonymi Theatrum Mysterii Apocatastaseos* πάντων *Quæst.* I. *pag.* 3. *sqq.* *Quæst.* III. *pag.* 76 *sqq.* Maximè *Reu. DD. Grapii*, Fautoris, atqve Collegæ nostri longè æstumatissimi, *Disp. Inaugural. contra æternum Evangelium, ejusdemque Disspp. Apologeticas doctissimas.*

§. XXIV. Plura qvidem specimina elucubrare Noster adlaboravit, sed cum omnia ad sonum hinc inde casu similem redeant, & sic ex antedictis geminum de seqventibus hisce exemplis judicium fieri nullo qveat negotio; vereor, ne & Lectoris Benevoli patientia, & typorum ministerio abutar, si prolixe in refellendis singulis operam navare suscipiam; sufficiat itaqve brevissimas hic ducere lineas. *Tertii* nempe *speciminis* loco provocat *Noster pag.* 302. ad *Ps. CXLIX.* & *CXLVI*, in ILLO similes sonos eruens ex *v.* 3. 5. 6; in HOC convenientias nonnullas ex *v.* 6. 7. 8. 9. efferens. Enim verò si nova Poëseos ratio istiusmodi rythmos, aliasve similitudines Jure suo exposcit, cur, amabo, non singuli sed unus saltem alterq; versus legem juxta poëticam exiguntur? Talpâ cœcior sit necesse est, qvi paucas terminationum harmonias regularum Poëticarum præscripto vendicat.

§. XXV. *Quartum specimen p.* 303. ducit ex *Psalmo CXLVIII.* duo in singulis, præter postremos duos, versibus constituens hæmistichia, notansve *v.* 1. 2. 3. 4. sex vicibus sibi respondere הללויה, sed *partim* allucinatur Senex noster, cum *versu* 1. non duo sed tria occurrant hæmistichia, *partim* sine causa gloriatur, cum ipsemet postremos binos versus eximere, atqve conseqventer vel invitus, nihil

subesse

subesse in observatione sua certi, largiri cogatur: *partim* fumum vendit, cum in *versu 510 & sqq.* nullibi illud הללוהו videatur repetitum; *partim*, reliqva qvoad inventa, meris ingenii lusibus superbit, qvos legisse & recensuisse est refutasse.

§. XXVI. *Qvintum specimen* petit *p.* 304. ex *Psalmo* XLVII. imprimis sibi blanditus, *v.* 8. tres dari sectiones, qvarum singularum prima vox sit participium cum præfixo ה demonstrativo. Sed 2. *Reg.* XXIII, 20. tria qvoqve deprehenduntur segmenta, qvorum cujuslibet initium ornatur verbo futuri temporis. An ergo & ibi metro relinqvitur locus? Porrò *vers.* 17. *&* 19. in principio collocari participium Hiphil, edocet. Sed qvid tùm postea? Annon enim versus 18, illius convenientiæ nescius, interseritur. Et inspice *Es. XLIV*, 25. 26; Annon & ibidem tribus vicibus habetur participium Hiphil? Annon *v.* 26. 27. 28. tribus pariter vicibus legitur participium Kal האמר? Qvis verò, qvæso, inde argueret, Esaiam egisse Pœtam? Reliqva mitto.

§. XXVII. *Sextum specimen* desumit *p.* 305. ex *Psalmo CXLVI*, varias terminationes rythmicas sibi gratulatus. Sed fallitur Cappellus, qvandò metricis suis legibus indè qværit patrocinium. Nam in libro prosaico, *Es XLIX*, 14. consonant invicem voces עזבני & שכחני. Qvis vero pœseos vestigium hic adesse, somniat? De reliqvis judicium petendum est ex superioribus.

§. XXVIII. *Septimi specimini* loco recurrit p. 306. ad *Psalmum CXLV.* Initio causatur, singulos versus, viginti & unum, duobus constare hæmistichiis. Sed insigniter decipitur Dictator, qvia *v.* 1. *&* 3. tribus gaudent propositionibus. Porrò (2) versum primum & ultimum septem absolvi vocibus, addit. Id verò iterum manifesta scatet falsitate, cum versus primus novem complectatur voces. Verba enim initialia תהלה לדוד ad versum primum pertinere, ex accentuatione liqvet, & qvidem ex Merka Mahpahchato, voci לדוד insidente. (3) *Cappellus* in *versu* 4. 5. 6. 7. hæmistichia octo, nec non in *versu* 11. hæmistichia duo terminari singula futuro desinente in ו, & habente proxime ante se nomen vel participium, ait, subjungens *pag.* 307: *Qvatuor enim emendationes supra à nobis expositæ ad qvatuor illos versus, habendæ sunt pro veris; si his in rebus, atqve adeò ubiqve & sem-*

per homines decet verisimilitudini summa fidem habere potius, qvam derogare. Sed si unqvam, hic sanè *Cappellus* nimium qvantum à veritatis semita recedit. Qvis enim limpidissimos fontes purè fluentes, impune turbare auderet? Et qvis fidem adhiberet Cappelli sententiæ, nulla plane probabilitatis specie præditæ, sed meraCappelli voluntate subnixæ? Hinc genuinus Scripturæ æstimator exclamare non verebitur: *Qvatuor emendationes supra propositæ non sunt habendæ pro veris. vid. supra §. VI. sqq.* (4) *Noster p* 307. versus 10, Imam, 4. 5. 6. voces terminari singulas affixo ךָ, ita ut 4ta & 5ta vox præponant nomen plurale masculinum in regimine, inqvit. At enim vero *partim* ipsi literæ contradicit, cum ultima vox יברוכה non exeat in ךָ, sed in כָה cum ה paragogico, *partim* in ipsa prima linguæ sanctæ rudimenta impingit, dum nomen plurale masculinum status constructi ante affixum præmissum, dicit. Quis enim nescit, aliud esse, nomini vel singularis vel pluralis numeri suffixum pronomen adjicere, aliud verò, nomen aliquod sive singulare sive plurale in regimine seu statu constructo ponere? Quis nescit, eo ipso, dum affixum comparet, non adesse statum constructum? Et quid multis? Sanè Cappellus propria cædit vineta, eo ipso dum fatetur, dictis nominibus subjunctum esse affixum ־ֶיךָ. Si enim י illud pertinet ad affixum, non pertinet ad essentiam nominis ipsius, & consequenter nomen ipsum in statu constructo haudqvaqvam ponitur, qvippe qvod extra affixum in regimine sonat מעשי & חסידי. (5) gloriatur de *versu* 10. *Ps. CIII*, in qvo *vox* 2. 4. 6. 8. desinant affixo נו. Sed una hirundo non facit ver, uti jam supra audivimus. Sufficit enim ad sufflandum totum Cappelli apparatum observasse, in reliqvis, excepto decimo, versibus *Ps.* CIII. istiusmodi convenientiæ ordinariæ non esse locum. Hinc licet *Cappellus p.* 307. ingeminare haud vereatur: *Cuncta illa nemo, qvamlibet contentiosus, sorti tribuat non arti, h. e. legi metricæ illius temporis*; nos è contra ingenue erumpere nulli dubitamus: *Pauca illa nemo, nisi contentiosus, legi metricæ, non sorti tribuet.* Alias enim in infinitis Librorum prosaicorum locis, lex Hebræorum metrica dominaretur, *uti supra §. XIIX. XIX.* ad nauseam usque dedimus demonstratum. Tandem (6) *p.* 308. tanquam aliquid notatu dignum affert in scenam, *in octo versibus Ps. CXLV*, nempe 3, 9, 10, 14, 17, 18, 20, 21.

20. 21. secundam vocem esse augustissimum Dei nomen יהוה tempo-
ribus Prophetarum pronunciatum יְהוֹה, uti *Lud. Cappellus in peculiari diatriba* ostendere adlaboravit. Enim verò si talia casu obvenientia tanquam mysteria artis metricæ accersis, certe pœticum quoque artificium in animo habuit Moses, *Deut.* VI, quippe qui in plurimis versibus essentiale hocce nomen divinum expressit, ita ut illud *v.* 13. 22, 24. secundum; *v.* 4. 5. tertium; *v.* 2, 10, 15. 16. quartum; *v.* 17. 18. quintum occupet locum, ubi quoque si Cappelliano more liberet ludere, *v.* 24. penitiorem mereretur considerationem, cum in illo vox prima, undecima, decima tertia, decima sexta finiantur terminatione נו. Sed apage ineptias! Reliqua, quorum magnum agmen Noster cogit, lubentissime prætereo, ne & ego, sicuti *Cappello* collibuit, crambem bis coctam denuo apponam, ac æquis rerum arbitris stomachum moveam. Genuinam autem nominis divini יהוה lectionem prolixe excutere non vacat. Interea peculiarem planè sententiam propinat *B. Carpzovius in dissert. de Nomine Jehova, Dispp. Academic: p. 295. fin.*, vocem nimirum יְהוֹה sustinere quidem puncta propria, adeoque veram ejus pronunciationē, quam in sanctuario olim Sacerdotes expresserunt, esse *Jehova*; ejus loco tamen ob continuum usum substituendam esse aliam pronunciationem, nempè *Adonai*, qvod *p. 299. sqq.* insigni argumentorum agmine persvadere gestit. Putarem certè, nomen יהוה, eo ipso, dum, usu ferente, efferri semper debet per *Adonai*, non propriis, sed alienis, & ex אדני mutuo sumptis gaudere punctis, id qvod cò firmius colligere licet, qvia B. Autor nullam rationem reddit asserti sui de propriis in nomine Jehova punctis. Qvidqvid hujus rei sit, mihi qvidem, salvis aliter sentientiū autoritatibus, semper illa sententia argumentorum ponderibus prævalere visa fuit, qvâ nomen יהוה & punctis alienis constare, & per *Adonai* exprimendum esse statuitur, etiamsi *Leusdenius in Philolog. Hebræo Dissert. 18. p. m. 337.*, *Pfeifferus in Introductione in Orientem Dissert. 4. Quæst. 7. p. m. 80.*, *Noldius in Concordant. Particularum Nota 788. p. m. 902.*, aliiqve, in defendendo contrario anxiè desudent. Qvodsi verò aliqvis me sciscitaretur genuinam prolationem, cum *Gussetio in Comment. Lingv. Ebr. p. m. 206. b.* potius formam יְהוָה, ad modum יִצְחָק, qvam cum *Cappello* formam *Jahvo* adprobarem. Id adhuc velut per saturam notare volupe est, *Lud. Cappellum*

pellum in Crit. S. pag. 691. nec non *Buxtorffium in Lexic. Biblico rad.* הוה *p. m.* 159. primam vocis Jehova pronunciationem adscribere *Galatino*, circa annum Christi 1518. florenti. Sed haud perperam *Joseph. de Voisin in Annotationibus finalibus ad Raymundi Martini Pugionem fidei p. m.* 961. *sq.* majoris antiqvitatis injicit mentionem, cum circa ann. 1278, & sic diu ante plagiarium Raymundi, *Galatinum*, modò laudatus *Raymundus Martini in Pugione fidei P. 3. dist. 2. cap. 3. §. 4. pag.* 519, vocem Jehova adhibere nullus dubitavit. Licet autem *Gussetius Commentar. L. H. p.* 206. *a.* Hyperaspistes Cappelli agere conetur, causatus, *Raymundum* repræsentasse lectionem Jehova, ut non usitatam, scribendo יהוה *Jehovah sivè Adonai*, à scopo tamen planè aberrare *Gussetium*, in propatulo est. Non enim *Cappellum* inter atq; *Voisinium* cardo controversiæ in eo consistit: An jam temporibus *Raymundi* omnium ore trita fuerit lectio nominis *Jehova*, id qvod *Voisinius* τοῖν ἀμφοῖν inficiabitur, sed qvæstio huc abit: *An primus Galatinus, an vero jam ante eum primus illa pronunciatione delectatus sit Raymundus Martini*? Prius asserit *Cappellus*, posterius *Voisinius*. Taceo, viginti sex annis *Galatino* antiqviorem *Dionysium Carthusianum Comment. ad Exod. VI.* confidenter usurpasse vocem *Jehova*. vid. *Carpzov. l. c. pag.* 316. Jis tamen omnium minimè litem movere solitus fui, qvi ad effugienda varia dubiorum tela, nomen יְהוָה absqve præfixis positum, propriis gaudere punctis, & per *Jehova* efferendum esse sentiunt, cum *Hillero in Arcano Keri & Kethibh. Lib. I. cap. XI. p. m.* 194. *sqq.*, modo mutuatitia puncta, & pronunciationem per *Adonai* largiaris in compositione cum præfixis, qvamvis *Dn. Hillerus l. c. Cap. IX. pag.* 207. *sqq.* hic compendium scriptionis commemoret, qvâ v. gr. לַיהוָה legendum sit *Adonai Jehova, Domino, Domino*. Conf. ipsius *Onomastic. p. m.* 249. *sq.* Satis de his. Consule, sis, *Adriani Relandi decadem Exercitationum de pronunciatione nominis Jehova*, qvi sistit *dissertationes Drusii, Amamæ, Cappelli, Buxtorffii, Altingii, Fulleri, Gatakeri, Leusdenii &c.*, B. *Carpzov. l. c. p.* 285. *sqq. Hackspanii Dissert. de Nomine tetragrammato, Dorschæi Disp. de Nomine Jehova, Joh. Jac. Schudtii Tr. de Nomine Jehova, in trifolio Ebr. Philol. p. m.* 534. *sqq.* DD. *Brand. Henr. Gebhardi disp. de essentiali nomine DEI Jehova, qvâ simul fabula de Schembamphoraseh origo aperitur, Dn. M. Reineccii*

Disp.

Dissp. de Nomine DEI tetragrammato. Jungè *Dn. Frid. Niehrii Delicias Ebræo-Homiletic. P. I. pag. 5. sqq.* Ceterum bestiæ magis qvam hominis nomen meretur insanus *Joh. Tolandus in Originibus judaicis p. 155. sq.* delirans, sanctum nomen Jehova Spinosissimo favere, cum *necessariam solummodò existentiam, vel illud, (qvicqvid sit) qvod per se existit, emphaticè significet, eodem planè sensu, qvo ὁ ὤν Græcorum, mundum incorruptibilem, æternum & interminabilem plerumqve denotet*, prouti eructat *Tolandus.* Annon enim bruto digna est hæc consequentia: Nomen Jehova significat Ens per se existens. E. Mundus sive tota rerum universitas haberi debet pro illo Ente per se existente, & nullum Ens per se existens â mundo separatum datur, uti maledictus *Benedictus Spinosa* docuit. Si ullus alius, certè Moses Deum omnipotentem, qvi nomine proprio יהוה insigniri vult Ps. LXXXIII 19, tanqvam Architectum, â mundo rebusqve creatis, tanqvam opificio, sollicitè distingvit. vid. contra *Tolandum, D. Jac. Fayus in Defensione religionis nec non Mosis ac gentis judaicæ, DD. Sal Deylingius Observationum S. P. 2. obs. 1. §. VI. sqq. p. m. 4. sqq.* Conf. *D. Joh. Franc. Buddei Programma Dn. D. Danzii disp. inaug. præmissum.*

§. XXXIX. Retrogrediamur ad *Cappellum* nostrum. Nondum enim is desiit inconditos ingenii sui lusus adorare, aliisqve eos adorandos obtrudere: Hinc *p. 310. Psalmi II. versum duodecimum* in qvatuor dispescit versiculos, h. m.

נשקו־בר פן־יאנף
ותאבדו דרך
כי יבער כמעט עפו
אשרי כל חוסי בו׃

Primum jam versiculum octo constare syllabis, secundum sex, tertium novem, qvartum septem, asseverat, idqve non absqve proportione. Addit, ambos versiculos primos his vocibus incipere eodem modo desinentibus נשקו & תאבדו; ambos autem postremos versiculos claudi his vocibus eodem sono, nempe affixo ו desinentibus. Supersedere qvidem omni possemus opera, cum nil nisi fumum vendere Autor gestiat. Attamen ne aliqvid videamur debere, notamus (1) idem artificium Autoris metricum hinc inde in codice sacro comparere, etiamsi Scriptoribus sacris, pœtas agere, ne qvidem per somnium venerit in mentem

mentem. Age, contemplare *Jud.* VI, 29. Libet mihi cum *Cappello*, duos excogitare versiculos, qvorum primus clauditur his vocibus עשה הזה הדבר, secundus eodem modo exit. En artificium primum! Jam qvoqve prior versiculus sistit primum verbum, terminatum in ר nempe יאמרו; posterior autem versiculus eundem sonum in tribus, ordine se excipientibus verbis, efformat. En artificium secundum! Nondum satis! Nam etiam ubiqve in vocibus eodem modo terminatis ר conversivum adest. En artificum tertium! Jurares, si Cappelli hypotheses aliqvam merererentur fidem, poëti Hebræorum non infimum hic relinqvi locum! (2) Fallitur quoque *Cappellus* in determinando numero syllabarum, cum primus versiculus non octo, sed sex saltem, secundus non sex, sed qvatuor, tertius non novem, sed septem, qvartus non septem, sed sex gaudeant syllabis. Licet enim ex recentioris pöeseos legibus aliqvale sibi præsidium pro defendendo syllabarum numero polliceri Noster possit, cum litera, schevate affecta, ex hodiernorum Hebræorum mente syllabam conficiat; priscum tamen Scriptorum sacrorum metrum secundum hodiernæ poeseos præcepta dijudicari posse, jam supra evimus inficias §. XVI. (3) Et annon ipse *Cappellus*, oblitus quasi sui, in propria sævit viscera? Pöesis enim prisca, Clerico, atque Cappello constitisse dicitur numero syllabarum & sono similiter desinente. vid. supra §. XV. Annon verò numerus Syllabarum par hic manifestè exulat, etiamsi ipsius *Cappelli* placitis assurgere non dubitaremus? An enim versiculi octo, sex, novem, septemq; syllabis gaudentes, æqualem sibi syllabarum numerum gratulari habent? Conf. supra §. XVI. Geminum plane judicium ferendum est de *Psalmo* XLIV, 4, ab Autore *p.* 310. *sqq.* allato, adeò ut una fidelia duos licuerit dealbare parietes.

§. XL. Gloriatur adhuc maximè de *Psalmo* CIII. *p.* 311, *sqq.* exinde *duplex specimen* sacræ pöeseos Hebraicæ, si Diis placet, derivaturus. *Nam in ambobus primis versibus*, inqvit, *hemistichia qvatuor, qvorum duo primum versum, duo sequentia 2. versum clare & distincte componunt, constant singula decem syllabis. Praterea utriusque illius versus hemistichium iisdem planè verbis constat*, nempè his ברכי נפשי את יהוה. *Denique in utroque illo versu, 1 & 2. vox prioris hemistichii & 2. posterioris eodem sono desinunt. Nam in primo versu 1,*

2. &

2. & 6. *vox est* ברכי , נפשי / קִרְבִּי ; *in secundo versu* 1, 2. & 6. *vox est* תשכחי / ברכי , נפשי. Resp. (1.) Fallitur *Cappellus*, in hæmistichiis illis qvatuor, decem ubiqve qværens syllabas. Nam si filum Cappellianum qvoad investigationem syllabarum, seqvi placet, in primo primi versus hæmistichio non decem, sed tredecim offendes syllabas. Qvis enim Cappellum docuit ex memorato hocce versu vocem initialem לדוד expungere, relegare, proscribere? Quodsi vero *Cappelli*, novorumqve Poëtarum dictata pro cynosura veteris poëseos agnoscere ac venerari recusas, *versus primi* primum hæmistichium constat novem syllabis, non decem; secundum septem; versus secundi primum hæmistichium itidem septem, secundum verò sex tantum. Primum ergò Cappellianæ poëseos specimen, à pari syllabarum numero petitum, tenues abit in auras. (2) Invita veritate Noster scripsit, utrumqve & versus primi & versus secundi initiale segmentum iisdem plane inchoare verbis, cum partim primus versus tria numeret hæmistichia; partim verò in frontispicio collocet vocem לדוד, cujus seqvens versus expers est. (3) Posito & 1. & 2. versus initiale hæmistichium iisdem plane constare verbis, neqve pluribus, neq; paucioribus. An artis metricæ specimen luculentum inde exstruetur? Sic certe *Jud. VI.* 29. idem valebit, ubi primum secundumq; segmentum pari sono desinunt. vid. *supra* §. *XXXIIX.* (4) Neq; pro comenda novæ poëseos Helena satis lenocinii affert Cappellus, provocans ad similitudinem soni, vi cujus in primo pariter atqve secundo versu primam, secundam & sextam vocem in י exire svaviter nugatur. Partim enim in primo versu non prima & secunda, sed *tertia* demum vox memoratam terminationem exhibet; partim, etiamsi ἐκ περιουσίας Autori assurgeremus, nihil tamen ex fortuita terminationum harmonia Noster lucrabitur, nisi pariter metricæ arti locum concedere voluerit *Es.* I, 29. 30, ubi in priori *versus* 29. hæmistichio adest vox יבשו / ultima חמדתם / & ecce postemus ejusdem versus segmentum pari ratione & incipit, & desinit. Non minus *in versu* 30, prioris hæmistichii ultima vox, & ultima posterioris eodem gaudent sono. Qvid tum postea? Ergo & alterum Cappellianæ poëseos specimen evanescat necesse est! (5) Interim nullo modo Novatori nostro infrunitam condonare possumus audaciam, qva versu primo

legit

legit קִרְבִּי, cum omnes codices probati habeant קִרְבַי *inteſtina mea*. Adhæc plurali canam competere antiqvitatem, inficias ire non poteſt, niſi qvi omnia inficias ire audet. Provoco ad Chaldæum habentem: ברכי נפשי שמא דיי וכל כני גואי ית דקדשה *Benedic anima mea nomini* Domini, *& omnes filii viſcerum meorum nomini ſanctitatis ejus.* Provoco ad LXX. legentes: Εὐλόγει ἡ ψυχή μου τὸν κύριον καὶ πάντα τὰ ἐν τοῖς μοῦ τὸ ὄνομα τὸ ἅγιον αὐτοῦ *Benedic anima mea Domino, & omnia, qvæ in me ſunt, nomini ſancto ipſius.* Qvæ verò, qvæſo, audacia eſt, probatorum codicum fidem elevare, antiqviſſimarum verſionum autoritatem alto contemnere ſupercilio, ſibi vero ſoli ſapere, infallibilemqve qvaſi dicendi decidendiqve poteſtatem ſibi arrogare. Sed proh! in fece mundi hæremus, ubi qvilibet novaturiens ſomnia ſua recenſere, fumum vendere, veritates antiqvas, repoſitis inſulſis qvibusve deliriis, profligare nullus dubitat. Delapſus ſum, dum hæc ſcribo, in perſonati *Theophili Amelii* Erörterung der dunckelſten/und ſchwereſten Schrifft-Stellen im neuen Teſtament/in welcher NB. viele bißhero unbekante göttliche Warheiten mit unpartheiiſcher Feder entworffen werden. Indit ſibi Autor, titulum eines Niederſächſiſchen Theologi, qvi tamen Baccalaureus ſaltem Theologiæ eſſe dicitur. Utinam aliqvid præſidii ſana Theologia ab eo exſpectare habeat! Certe ſi ſchedas iſtas percurris, jurares, infallibilitatis axioma divinitus Autori conceſſum eſſe, tam alios præ ſe contemnit viros doctiſſimos, erroris dicam hinc inde ſcribit, novam ſuam Theologiam dictatoria poteſtate commendat, obtrudit. En ſpecimen inſigne! *pag.* ſcilicet, 50. *ſq.* orthodoxam de reali Chriſti vivificati ad inferos locumqve damnatorum deſcenſu, ſententiam explosurus, & palmarium dictum probans 1. *Petr.* III, 18. è manibus excuſſurus, merum agit dictatorem nihil amplius. Audi propria ipſius verba: Diejenige irren ſehr/welche in der Meynung ſtehen/als würde in dieſem Ort angezeiget Chriſti Höllenfahrt/da ehrnehmlich wie man insgemein vorgiebet/als ein Sieger/an dem Ort der Qvaal dem Teuffel Trotz geboten/und ſeinen Sieg in Majeſtätiſcher Erſcheinung würcklich angezeiget. Allein nach reifferer Einſicht des Grund-Textes iſt folgende Meynung die beſte: Chriſtus/wie er ſonſten in angenommener menſchlichen Geſtalt denen Ertz-Vätern im Alten Teſtament erſchienen/in Begleitung einiger Engel

gel / hat also auch zur Zeit Noä in angenommener menschlichen Gestalt in Gesellschafft der heiligen Engel die Busse geprediget. Ausser dem/daß diese Erklärung mit der H. Grundsprache sehr wohl kan beysammen stehen/hat auch ein herrliches Argument für die Gottheit wieder dessen Feinde/welche läugnen/ (dicere debuisset: Vorgeben) daß Christus erst seinen Uhrsprung habe mit der Geburth in der Zeit/und also nicht ewiger wahrer GOtt sey. Profecto ipse *Petrus* divino afflatus spiritu, non potuisset majori πάρεσιν verba fundere. Fateor, usitatam dicti petrini expositionem sudem existere in oculis Novatorum nonnullorum. Sic *D. Hedingerē* im Neuen Testament *ad h. l. p. m.* 170. sententia justam subiit censuram summè Rev. *Dn. Ddi Jac. Schröderi in disp. Inaug. de Erroribus Hedingeri pietisticis p.* 45. *sq.* Peculiarem qvoqve sensum *Clericus in N. T. ad h. l.* & cum eo *D. Gundlingius Observat. Liter. Tom. I. obs.* 3. *p.* 91. venantur, Christum nempè stipatum Angelis ἐν φυλακῇ h. e, illis, qvi bonorum custodes sunt, ad pœnitentiam (non proprio sed) Noachi sermone incredulos tum temporis esse exhortatum. Aliam viam ingreditur *Dn. D. Gotfrid. Olearius in Disp. de Angelis desertoribus §. IV. p.* 4. *sqq.* existimans, per *Spiritus in custodia* intelligi *Principes gentis antediluvianæ, qvi præsidebant, atqve curam gerere populi debebant*, uti ipse loqvitur *p.* 5; Christum verò *Spiritu*, h. e. juxta divinam naturam, descendisse in Præcone justitiæ, Noacho, atqve his Principibus per Noachum prædicasse. Paulo aliter rem expedire conatur *Amelius*, sententiam ferens legislatoriam: Folgende Meynung ist die beste. Ipsius itaqve judicio divinus *Petrus* exprimit, Christum tempore V. T., stipatum Angelorum choro, in assumpto humano corpore incredulis hominibus ante diluvium, pœnitentiæ præconium proposuisse. Enim verò noli, ô *Amelī!* qvi locis N. T. obscurioribus ex accurata fontium inspectione lucem affundere pollicitus es, totum scientiæ Græcæ apparatum in promptissimam fontium depravationem, ac perturbationem convertere. Qvo enim, quæso! lingvæ avthenticæ indicio probabis, Christum, Angelis stipatum, pœnitentiæ Præconem egisse? Imo potius græcus Textus asserit, Servatorem prædicasse τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι, *spiritibus in carcere existentibus.* Instat qvidem *Amelius*, ad vocem πνεύμασι subintelligen-

dam esse præpositionem σὺν, qvam sæpè in N. T. omitti *Bos in Mysterio ellipseos* testetur. Ex illo ipso verò haud injuria colligo, magis lingvæ avthenticæ filum deseri ab Autore, qvam suspici, cum lacunas in Textum pure fluentem absqve omni necessitate inferre, non sit boni sed malitiosi Interpretis. Et unde demonstrabis, πνεύματα ἐν φυλακῇ hoc loco esse *Spiritus vigiles*? Certe φυλακὴ sæpissime significat carcerem *Matth. V*, 25. *XIV*, 3, 10. *XIIX*, 30. *Luc. XII*, 58. *XXI*, 12. *XXII*, 33 *Act. V*, 19. 22. *Cap. XII*, 4. *XVI*, 23. 24. *XXII*, 4. *XXVI*, 10. *Apoc. II*, 10. & alibi, qva ratione ἐν φυλακῇ εἶναι idem notat ac: *carceri inclusum esse*. Licet autem ἐν φυλακῇ εἶναι idem nonnunqvam possit designare, ac: *stationem obire*; attamen non sequitur, eandem significationem hoc etiam loco obtinere. Certe omnium juxta saniorum Interpretum regulas premenda tamdiu est famosa magisqve usitata significatio, donec gravissimæ causæ ab illa nos jubent recedere, atq: illata qvasi vi qvadam retrahunt. Personatus autem Amelius sibi gratulatur, si insolitam qvandam hujus vel illius vocis acceptionem in thronum collocare potest, cujus rei luculentum testimonium præbet *p.* 7. 8., per κύνες, *canes*, *Luc. XVI*, 21. non domesticos custodes rationis expertes, sed janitores, catenis alligatos, intelligens, qvia servi quoque canum interdum appellatione insigniti fuêre. Enim verò & id vitio vertamus Pseudonymo nostro necesse est, qvod planè neglexerit Contextus, sive cohæsionis textus petrini accuratius scrutinium. Nam divinus Apostolus *v.* 18. docuerat, Christum σαρκὶ i. e. *quoad carnem* sive humanam naturam, morti traditum, sed τῷ πνεύματι i. e. *virtute divinæ naturæ* (nisi cum *DN. Storrio in Tr. de vocum Carnis & Spiritus, cum de Christo dicuntur, genuino sensu & usu Sect. 1. Aphor. VII. p.* 20. Spiritum interpretari malis de Spiritu S., quo Christus secundum carnem præter mensuram unctus est), vitæ restitutum esse. Jam *v.* 19. catenam actuum Christi ulterius connectit Petrus, inqviens: ἐν ᾧ i. e. *cujus divinæ naturæ virtute abiens prædicavit* τοῖς ἐν φυλακῇ πνεύμασι *spiritibus in custodia s. inferni* lacu detentis, imprimis verò illis animabus damnatis, qvæ ante diluvium corporibus unitæ, Noachi, Præconis justitiæ, serias ad pœnitentiam invitationes sannis exceperunt v, 19. Ita singula aptè cohærent, Christum

ſtum nempe primo mortem ſubiiſſe truculentiſſimam, mox vitam reſumſiſſe (*Joh. X*, 17. 18.), interjecto qvoq; inter vivificationem, & reſuſcitationem intervallo in infernales damnatorum ſedes deſcendiſſe, illisq; non tam verbali qvam reali convictione, ſe ipſum ſcilicet vivum ſiſtendo, victoriam ab omnibus hoſtium catervis reportatam ſignificaſſe. Jam cogita, obſecro, qvam immanem, ex uno in aliud μεταβασιν comminiſcatur *Amelius*, perſvaſurus, poſt mortis, vitæqve recuperatæ mentionem, à *Petro* inculcatam eſſe Servatoris noſtri apparitionem viſibilem in corpore aſſumpto, factam ante diluvium univerſale temporibus Noæ. Ceterum de ipſo Chriſti ad inferos deſcenſu in memoriam nobis revocemus monitum Confeſſorum *in F. C. p.* 613. *Cum hic fidei noſtræ articulus neqve ſenſibus neqve ratione noſtra comprehendi qveat, ſola autem fide acceptandus ſit, unanimi conſenſu conſulimus, de hac re non eſſe diſputandum, ſed qvam ſimpliciſſimè hunc articulum credendum & docendum eſſe. Conf. p.* 788, conſuleqve *B. Carpzovii diſp. de deſcenſu ad inferos, diſpp. Acad. p.* 604. *ſqq. B. Neumanni diſp. de deſcenſu ad inferos ex* 1. *Petr. III*, 18, *Magnif. DD. Fechtii diſput. de deſcenſu ad inferos, habitam* ab Autore, Nobiliſſ. Dn. *Caſpari*, & *Dn. Laurbecchii diſp. de deſcenſus Chriſti ad inferos majeſtate.*

§. XLI. At ſatis in aviis fui conſtitutus. Retrogrediamur neceſſe eſt ad regiam, à qva par *Cappello* Dictator, *Amelium* puta, me paulisper declinare juſſit. In aures interim noſtras inſuſurrare videtur *Cappellus*, injuriâ ſibi manifeſtam inferri, cum haud absq; rationum momentis uſitatam lectionem deſeruerit, & pro קרבי ſubſtituerit קרבי, *Kirbi*. Hinc juſtè reponere nobis liceat, non niſi rationum quarundam ſpectra, à phantaſia Cappelliana orta, noſtris obverſari oculis. *Primum*, inquit *p.* 312. *ſic ſervatur ratio & convenientia metrica à nobis indicata.* Sed an ementito ac infucato ſuo artificio metrico fucum conciliare decet injuſta ſacri textus depravatione. Pergit: *Inſuper nomen* קרב *numero ſingulari frequentiſſimè uſurpatur, at in plurali nunqvam, ſi hunc unum excipias locum, de qvo controverſia eſt, qvique omnino videtur eſſe corrigendus.* Sed neſcio, quid ſit imperioſum agere Dictatorem, ſi hoc non eſt. Annon enim *Prov. XXVII.* 25. pluralis עשבות *Herbæ*, ſemel tantum occurrit? Quis verò, niſi mente captus, inde colligeret, delendam hanc formam, aliamque in ejus locum ſurrogandam

dam esse? Quis cum *Cappello* delirare occiperet? Nomen עשב numero singulari frequentissimè usurpatur, at in plurali nunquam, si hunc unum excipias locum, ergò is videtur esse corrigendus? Nondum acquiescit *Cappellus*, sed hunc in modum progreditur: *Illud singulare* קרב *sive cum affixo* קרבי *de homine usurpatum, signat unicè humani corporis mediam partem, interiorem, intimam, nim. pectus, nec non cor, reliquaque viscera, seu præcordia, sita in pectore. Usitatissima autem figura Hebræis cor, in media pectoris regione situm, itemque hominis medium, ut hic, significat animum. Hic itaque* כל קרבי *idem est ac* כל רוחי *totus animus meus.* Sed eo ipso dum קרב mediam humani corporis partem, *pectus* nimirum, significat, consequitur, haud sine ἐμφάσει voce קרבי delineari *singula viscera, intestina, venulas, nervos*; ipsam quoque animam ac facultates ejus, intellectum & voluntatem, & quicquid in corpore humano adest. *Luth.* alles was in mir ist/ qua ratione præsens קרבי, *Kerabhai*, convenit cum nomine מעי *viscera mea, Es. XVI.* 11. Conf. *B. Geier. Comment. h. l. col. m.* 1758. Rabbini *in Medrasch. Tillim, in Jalkuth P.* 2. *fol.* 121. *Col.* 3, & alibi, accuratum interiorum in homine partium, qvæ uno quasi concentu divinas laudes decantare debebant, inituri numerum, decem introducunt species h. m. עשרה דברים יש באדם הקנה לקול הגושת למזון הכבד לכעוז הריאה לשתות המרה לקיאה הקיבה לשינה המסם לטחון הטחול לשחוק הכליות יועצות הלב גומר לפיכך היה מקלס דוד ואומר אודך על כי נוראות נפלאתי לכך ברכי נפשי את יהוה וכל קרבי את שם קדשו i. e. *Decem res sunt in homine* (1) *aspera arteria ad sonum edendum* (2.) *gula ad alimentum assumendum*, (3) *jecur ad irascendum* (4) *pulmo ad bibendum* (5) *Bilis ad Zelum* (6) *vesica ad urinam reddendam* (7) *stomachus ad concoqvendum* (8) *Lien ad ridendum* (9) *Renes consilium dant* (10) *Cor perficit. Eapropter extulit David DEUM, & dixit* (*Ps. CXXXIX.* 14.): *Laudabo te, eo quod tot rebus admirandis mirabiliter præditus sum. Hinc ait h. l. Benedic anima mea Domino, & omnia interiora mea nomini sanctitatis ejus.* Licet verò otiosis nonnunquam speculationibus, ac curiositati nimiæ indulgeant Rabbini; Attamen magis tolerandi sunt Judæorum veterani doctores, nimiæ curiositati habenas laxantes, quam Cappellus

lus profanum suum genium nimis demulcens. Verbo: Expressurus est divinus Vates suam in laudando DEO, alacritatem, qua non linguæ solum facultates in laudes DEI impendere, sed omnes etiam animi, ingeniique nervos eò intendere cupiebat, non solum ore ac verbis, sed corde quoque menteque insignia æterni Numinis beneficia meditari gestiebat. 1. *Joh. III.* 18.

§. XLII. Properat Dictator noster ad *Psalmi CIII. versum* 3. 4. 5. ex quibus novum metricæ artis specimen depromere nullus dubitat. Causatur nempè *p.* 313, imperitis glaucoma objecturus, singula v. 3, 4, 5. hæmistichia habere ה demonstrativum, præfixum participio singulari masculino. Eadem quoque illa sex hæmistichia desinere singula affixo fœminino כי, quod refertur ad fœmininum nomen נפש, usurpatum *v.* 2. &c. Enim verò ut solum palmaria discutiam (levioris enim momenti somnia ne digna quidem sunt, quæ accuratiori lance expendantur), non video, qui tam prolixe gloriari Noster possit de hisce tribus versibus, etiamsi cunctæ quoque ab Autore memoratæ convenientiæ extra omnem dubitationis aleam essent collocatæ, cum in reliquis commatibus neq; vola neq; vestigium istiusmodi artificii compareat. (2) pinguia figmenta, quasi ex Apollinis tripode dicta, pro infallibilibus obtrudit oraculis. Nam *v.* 5. alterum hæmistichium planè ignorat ה Cappellianum, vocemqve Cappellianam המחדש *renovans*; sed sistit tibi, ni talpa fueris cœcior, τὸ התחדש. Licet autem turbidè fluere videantur limpidissimi Israelis fontes, obscuritatisque exoriri nebulæ, omnes tamen difficultates evanescent, si ita *versum 5tum* transferre collibuerit: *Satians est quolibet bono os tuum, Innovas frequenter* (ô DEUS); *instar aquilæ juventutem tuam* (innovat DEUS). Hactenus nimirum divinus Psalmista animam suam exhortatus ad celebrationem immensi Numinis, de DEO in tertia persona fuerat locutus, beneficiorumqve divinorum longum contexuerat catalogum. Mox tanto sacri in DEUM amoris igne flagrare occipiebat, ut ipsum DEUM præsentem sisteret, ac filiali fiducia compellaret, sequentem in modum: *Frequenter innovas, ô DEUS benigne, juventutem meam!* Et quia sacris Scriptoribus haud infrequens est personarum mutatio, ad affectum dicentis eo magis exprimendum, cujus illustre exemplum præbet *Esaias Cap. I.* 29.; Hinc ordinarium oratio-

nis

nis filum ulterius continuat David, inquiens: *instar aquilæ juventutem tuam innovat DEUS*, apostrophe ad animam suam directâ. Neque subitanea istiusmodi personarum variatio scrupulum nobis injicere apta nata est, considerantibus, Davidem, Regem & Prophetam, intima præcordiorum voluptate benignitatem divinam meditari, ac intensissima in Benefactorem charitate quasi inebriatum esse. Aquilæ interim imagine utitur, non quasi, juxta commentum *R. Bechai in Gen. II. avis hæcce quoque decennio ad elementum ignis usque evolans, aduratur & decidat in mare, ac ita renovetur vita ejus*, vid. *Buxtorff. Lex. Bibl. p. 494.*; *sed partim* ratione *innovationis*. Sicuti enim teste *Hieronymo in Cap. I. Michæ*, *aquila*, *quæ est regina avium*, *certo tempore amittit pilos*, *& remanet implumis*, hâc verò μεταμορφώσει tota ipsius natura in meliorem redigitur statum; Ita regius Propheta læta mente prosequitur illum DEI favorem, quo novas ipsi & corporis & animi vires, post exantlatos varios infortuniorum casus, clementissimè restituit; *partim* ratione *vigoris perennantis*. Sicuti enim aquila ad extremam usque senectutem constans retinet robur; ita etiam exoptatum in ipso afflictionum æstu refocillationem, animique in adversis constantiam DEUS largitur, donat. vid. *Bochart. Hieroz. T. 2. pag. 166. sqq. Geier. Comment. hl. col. 1763. Ravanell. Biblioth. S. Tom I. p. 210. b.* (3) Veritatis semitam destituit *Cappellus*, asserendo, sex hæmistichia singula desinere in כִי. Versus enim quartus initialem quidem vocem ponit המעטרכי, *circumcingens te*, terminationem autem geminâ planè nescit, exiens quippe plurali רחמים *misericordiæ*. Pariter *versus quinti* primum segmentum non terminari in כִי, sed voce עֵדְיךָ, *ostuum*, ocularis docet inspectio. En itaque *Cappelle*! in quam periculosas syrtes tua te abstraxerit temeritas, ut sacro textui clarissimo injuriam inferre haud vereare, modo indè figmento tuo metrico qualiscunque affricetur color! Pudeat te, qui Christianus audire gestis, profanæ mentis!

§. XLIII. Surgentem autem video *Cappellum*, ac ingenuè confitentem *p. 314, v. 4. affixum* כִי *non adjungi hæmistichii voci postremæ*, *quæ in eo tertia est*, *sed primæ*; id verò pro leviissimo reputandum esse, quippe quod non sine aliqua metrica convenientia & consuetudine factum sit, cum sic in eodem versu postrema vox prioris hæmistichii

ſtichii, & poſterioris prima eodem modo deſinant. Quid, quæſo, eſt, luſibus ſuperbire ineptis, ſi hoc non eſt? Quid eſt effutire, quicquid in buccam venerit, ſi hoc non eſt? Quid eſt, magno conatu magnas nugas agere, ſi hoc non eſt? Annon Cappelle! *p.* 313. claris ediſſerueras verbis, *ſex hæmiſtichia ſingula deſinere affixo fœminino* כִי? Et annon jam *p.* 314. vel invitus fateri cogeris, excipiendum eſſe hæmiſtichium quartum, non deſinens affixo כִי, Judica jam, *Cappelle*! Judica arbiter æque! annon hæc duo effata in faciem ſibi invicem contradicant? Aut itaque turpiter verborum tuorum priorum es oblitus, aut ſtudio pœnam dare juſtis rerum æſtimatoribus voluiſti. Reliquos otioſæ mentis luſus, nihil planè in receſſu habentes, ſicco lubens ſocco prætereo.

§. XLIV. Porrò *p.* 315., conſcientiæ quaſi morſibus tactus, objectionem ſibi ipſi format, hæmiſtichium tum non terminari affixo כִי; ſed affixo ךָ.. ; reponit verò, qvia ſilere recuſat: Cum ךָ.. non ſecus ac כִי, ſit affixum ſecundæ perſonæ fœmininum, nomini aut participio ſingulari adjungi ſolitum, facillimum fuit, ut pro עֹרְרִיךְ Librarii ſæpè numero indiligentes aut indocti, ſcriberent עֹרְרִיךְ, primum, qvod temere opinarentur, convenientius eſſe, ut Jod, ſcriptum proximè antè literam Caph, non repeteretur proximè poſt eandem literam; Secundò quod illi Scribæ minimè animo reputarent, aut adeò prorſus ignorarent metricam legem, qvam oſtendemus ſervari in ſex hæmiſtichiis ſupra memoratis. En Oedipum noſtrum! Nodum is gordium non ſolvit, ſed ſecat. Nam (1) Probatiſſimi Codices legunt עֹרְרִיךְ *os tuum*, neqve exemplar antiqviſſimum in contrarium afferre poteſt Autor, nihilominus tamen conſvetæ lectioni infenſſimas indicit inimicitias, eamqve deſeri vult. Hinc Librarios armata invadit manu, indiligentes modo, modo indoctos nuncupat, aliisqve dicendis non dicendisqve convitiis proſcindit. Sed noli ſævitiam tuam in innocuos effundere Librarios. *Licet enim Hebræorum Librarii & Scribæ nec ἀναμάρτητοι fuerint, nec θεόπνευστοι, tamen nec credibile nec probabile eſt, eos usqve adeo μανικὰς & à bona mente derelictos fuiſſe, ut tot & tantis aberrationibus obnoxii vel fuerint, vel eſſe potuerint*, qvantas cum Parente ſuo affert noſter Cappellus, utor paucis mutatis, ſermone doctiſſimi *Buxtorffii*

in

in Anti-Critica P. I. cap. 4 p. m. 71. 72. Imo præter scribas semper etiam inter Judæos fuerunt Librorum Correctores, & Anagnostæ, qui eos reviderunt, utrum correcti & emendati sint nec ne, maxime libri legis, à quibus requiritur, ut quantum fieri potest ad extremum usque apicem sint emendati, & emaculati, iterum lingva loqvor *Buxtorffii l. c. p. 72.* Qvî itaqve absqve fontica causa Codicem nostrum hodiernum depravatum incuria ac negligentia Librariorum proclamas, si accurata revisione instituta, Anagnostæ debitæ integritati consulere studuerunt? *O Cappelle!* desine Librarios negligentiæ ac ignorantiæ arguere, potius aurem tibi vellica, & te ipsum nefandæ accusa petulantiæ! *O Cappelle!* desine librariorum temeritatem castigare, potius tuam ipsius temeritatem inconsideratissimam abominare! (2) Divinat *Cappellus*, Librarios excogitasse nostrum עֵרְמִי, quia Jod, scriptum proximè ante literam כ, noluerunt repeti proximè post eandem literam, id qvod sit in forma עֵרְמִי, Cappello adamata. At verò crisis hæc *Cappello* digna est! Qvomodo enim, amabo, ob concurrentes duas literas Jod veriti fuerunt Librarii legere: עֵרְמִי, qvî tamen ne per insomnium qvidem ultimum illud Jod, suffixo adjectum, in voce ultima *versus tertii*, וּתְלוּאֹתֶיךָ, *ægritudines tuæ*, nec non in postrema voce *versus qvinti*, נְעוּרֶיךָ, *juventutes tuæ*, abolere studuerunt, etiamsi par hic militet ratio, & interjecta unica duntaxat litera duo Jodim se excipiant. Qva itaqve fronte temerarius Cappellus temeritatis dicam scribere potest Librariis, satis hic diligentibus, satis siveris? Certe si ob nimiam duorum Jodim vicinitatem Librarii unam vocem mutilassent, ob eandem plane causam mutilassent & reliqvas, id qvod tamen factum haudqvaqvam est. (3) Qvomodo indiligentes ac indocti vocari mereantur Librarii, qvi teste *Cappello*, ex præmeditato studio mutationes qvasdam instituerunt, non video. Appellares illos potius, si crimen Cappellianum jure iisdem impingeretur, *Solœcios*, *audaces*, ac *supra modum curiosos*. (4) Tandem lubentissimè largimur Critico nostro, Librarios priscos planè ignorasse metricam legem, à *Cappello* adinventam. Sed qvid tum? Metricum *Cappelli* artificium est *Non Ens* ut Metaphysicorum vocabulum usurpem. Non Entis autem nullæ sunt affectiones, juxta par eorundem effatum. Gratulamur ergò *Cappello*, cui

soli licuit tam esse lynceo, ut, qvod reliqvi ante ipsum, fungi forsan omnes ac stipites, non valuerunt perspicere, ipse acu tangeret, atqve ex profundo puteo extraheret. Deme interim injustam Cappelli mutationem, citra omnem rationem susceptam, & illicò metrica lex *Cappelli* in sex supra memoratis hæmistichiis non amplius observabitur.

§. XLV. Denique illam quoque exceptionem proponit *Noster*, v. 5. non haberi חמחרש *renovans*, sed תתחרש, sequentia responsionis loco afferens *p.* 316: Nunc quidem legitur תתחרש, at perquam verisimile est, à divino Vate scriptum fuisse, uti requirebat lex metrica, חמחרש. Primò enim hoc modo hemistichium 6. habet He demonstrativum præfixum participio, quam rem lege metrica hic requiri demonstravimus, & simul hemistichii 6 initium חמחרש, quoad rationem grammatticam, simillimum est initio hæmistichii 4. חמעטר. Sed qvia Autor ridiculæ suæ arti poëticæ superstruit temerariam planè textus sacri castrationem, crambemque centies coctam iterum iterumque apponit, ne & nos idem tædium creemus, eandem repetendo responsionem, ultrò hæc mittimus. Pergit noster *eadem pagina sqq.* Prætereа Scribæ, metricarum legum ignari, aut ad eas minimè attenti, facile potuerunt in animum inducere, hemistichii sexti initium esse תתחרש, ut sic locum ibi haberet syntaxeos hebraicæ lex quædam verissima, codicis sacri pluribus locis manifestè comprobata: *Plurale inhumanum gaudet fœminino singulari*, h. est Nomen plurale, non significans homines, gaudet jungi cum fœminino singulari, sive nomine sive pronomine, sive participio, sive verbo cujuslibet conjugationis, temporis, personæ. Hæc ipsa Lex apud Arabes, si non perpetuò, certè ferè semper servatur, & inter Arabicæ syntaxeos leges recensetur a Thoma Erpenio, in sua Grammattica Arabica. Eadem lex accuratè servatur in illo, qvod nunc examinamus, hæmistichio 9, si hodiernam lectionem sequamur. Nam postremum vocabulum נערי, licet hominis conditionem qvandam, nempe Vatis sacri juventutem, significet; est tamen nomen plurale non significans homines, proindeqve legitime adjungatur verbo תתחרש, singulari fœminino. Verum ut eam, qvæ uti fas est, libertatem seqvamur ducem, verius puto admittendam esse in 6. & 5. hemistichio jam perpenso, utramqve emendationem

onem à nobis modò propositam; qvam à sacro vate neglectas fuisse, sine ulla causa, metricas leges, toties, tamqve distinctè servatas in sex illis hemistichiis, de qvibus nunc agitur. Illa verò ab una earum legum declinatio levicula, in 4. hemistichio occurrens, haudqvaqvam facta est sine causa, & qvidem pertinente ad rationem metricam, ut supra probavimus. At (1) in ruborem, nisi omnis ipsi frons periit, dari *Cappellus* potest per propriam suam regulam, de cujus prima inventione pariter atqve veritate

Projicit ampullas & sesqvipedalia verba,

ut eum *Horatio* de *arte poëtica* loqvar. Si *enim plurale inhumanum*, h. e. non significans homines, *fœminino singulari gaudet*, vi indolis syntacticæ; qvi tantam maleferiatæ mentis notam incurrit Autor, ut omni absqve causa, tantum, ut precarium exornet metrum, pure ac eleganter fluenti orationi manifestam inferat injuriam, limpidissimosqve fontes audacter perturbet? Non poterat sanè non Nester in scyllam incidere periculosissimam, postqvam libertatem credendi sentiendiqve, qvicqvid velis, palladii instar, adamare, nihilq; nisi qvod ipsius sententiæ convenerit, rectum putare occepisset. Libertatem sequitur ducem, eamqve non Christianam, qva uti omnino postumus, sed irreligiosam, detestandamve. Qvid mirum itaqve, hac duce *Cappellum* in inextricabilem errorum labyrinthum conjectum esse. Profectò qvi semel po mero malesanæ mentis imperio, ac impetu, sacrum DEI verbum irreligiosè tractare instituit, is nullo negotio vel Gentilium portenta ex Scriptura S. probare, ac uno verbo, summa imis miscere potest. Dic mihi jam, an tam irreligiosus homo Christiani amplius titulo insigniri dignus sit! (2) Ipsa tamen Cappelli regula: *Plurale inhumanum gaudet fœminino singulari*, non videtur omni exceptione major. *Clericus in Indice II. Comment. in Pentatevch. p. m.* 22. eandem eximia donat commendatione, sequentem in modum: *Regula hæc est, inter Arabas notissima, qvam etiam ab Hebræis aliqvando observari me docuit Vir doctissimus Jac. Cappellus, Lud. Fil. Sic Gen. XLIX.* בנות צערה, *filiæ ascendit. Sic v.* 5. *sequente LXX. Intt. videntur legisse* תשבר קשות, *ut ille conjicit. Nos* תשברנה *Tischabarnah. Ait in Psalmis, Proverbiis, aliisqve in Libris V. T. multa ejus rei exempla se observasse. Eo referri posse censet E. XVII. v.* 2. *Qvæ memoramus, ut ei gratum animum testatum faciamus.* Ita mutuam

tuam sibi operam in excogitandis novis regulis, ac, qvod maximum est, in debellanda integritate Scripturæ S., navat simile par Fratrum *Clericus*, *Cappellusqve*. At enim verò cum ordinaria syntaxeos Hebraicæ indoles convenientiam verbi cum suo nomine pariter ac participio & qvoad genus, & qvoad numerum reqvirat, (vid. Max. Rev. *DD. Danzii Interpr.* §. 110. *p.* 114.); Cum qvoqve substantivum cum adjectivo qvoad genus & numerum ordinarie conspiret; qvî ex pauciorum nonnullorum exemplorum farragine regulam exstruere conatur *Clericus*, ejusqve hoc in passu Præceptor, *Cappellus*. Exceptionem potius à regula, qvam regulam salutare liceret rariorem istiusmodi constructionem. Qvid? qvod cum *Clericus* ingenuè confiteatur, *aliqvandò* saltem id apud Hebræos fieri, limitatione ad minimum opus fuisset, seqventem in modum: Plurale inhumanum gaudet fœminino singulari (sc. *interdum* sive aliqvandò). Porrò non solum fœminino sed & masculino singulari jungi solet vox pluralis numeri, e. g. *Exod. XXXI*, 17. מחלליה מות יומת *profanantes illud* (Sabbathum) *certissime morti tradatur*. Vid. *Num. XXXII.* 25. 1. *Sam. XVI*, 4. &c. Cur ergò Canon Cappellianus ad fœmininum singulare restringitur, qvi de singulari in genere exaudiri oportebat, h. m. *Plurale non significans homines jungitur singulari*? Deniqve non sufficiebat, nude constructionem talem irregularem notare, sed etiam rationem, ob qvam illa interdum adhibetur, adjicere oportebat. Ut enim unius tantum momenti injiciam mentionem, certè elegantiores inter idiotismos locum obtinet, qvandò plurale sivè nomen sivè participium verbo singulari jungitur, ad indigitandam distributionem. Sic qvandò in dicto modò allegato dicitur: *Profanantes Sabbathum morti tradatur*, sensus huc redit: Qvilibet profanans Sabbathum, sivè vir fuerit sive fœmina, sivè dives sivè pauper, sivè juvenis, sivè senex, capite multetur. vid. *B. Glassii Philol. p. m.* 662, *Dn. D. Danzii Interpr.* §. 114. *p. m.* 117, alios. Qvia itaqve *Psalmi* CIII, 5. distributionis ratio exspirat, adhæc varia ἀνωμαλία concurrit, si Cappellianam juxta regulam versum illum dimetiri placeret, cum partim fœmininum verbum cum nomine masculino, partim singulare cum plurali præter normam construatur, qvilibet facile animadvertit, tali expositioni aures vacivas planè non esse præbendas. Qvod interim exempla attinet, qvibus *Clericus*

faceni regulæ suæ præferre gestit, facilè prægnantes causæ, ob qvas irregularis dominatur constructio, in apricum deduci possunt. Nempe *Gen. XLIX*, 22. moribundus Patriarcha, *Filiæ*, inqvit, *incedit super muro* i. e. *unaqvæqve filiarum incedit super muro.* Sicuti enim antea de posteris masculis sermonem instituerat, ita jam vernantem tribuum Josephi felicitatem eo magis delineaturus, filiarum super muro gressum introducere nullus dubitat. *Super muris apud veteres incedere solebant* fœminæ *cum choreis & canticis lætis, sicut apud Nechemiam exemplum habetur. Facimus itaqve hunc sensum, eum fore floridum & lætum Josephi in terra statum, ut habiturus sit, de qvo sibi gratuletur, & lætetur, adeo ut filiæ etiam ipsius virgines in choreis super muris incedentes, laudare eum & decantare qveant*; scribente *B. Seb. Schmidio in Comment. ad h. l. p. m.* 793. *sq.* Alterum exemplum depromitur ex *Exod.* XVII, 12. ויהי ידיו אמונה *& fuit manus ejus* (in duali) *firmitas.* Qvis autem primore statim obtutu non advertit, iterum distributionis causa, ut utraqve & dextra, & sinistra manus eleganti sermonis compendio exprimatur, verbo singulari nomen dualis numeri additum esse, hoc sensu: *Utraqve manus ejus* (Mosis, felicem pugnæ contra Amalekitas successum calidissimis expetentis precibus) fuit *firmitas*, (sive, abstracto posito pro concreto) *firmissima.* Ceterum dum ipse Cappellus ad lubricam suam regulam referri nolit dictum Ps. CIII, 5. ulterioribus supersedere possumus ambagibus, id unum adhuc saltem monentes, ex metro ipsius precario nihil pro temeraria mutatione præsidii exsurgere, uti, ni fallor, antea abunde demonstratum.

§. XLVI. Ut autem fortissime tandem omnibus novum interpretationis monstrum persvadeat *Cappellus*, alacribus progreditur passibus, inqviens *p.* 317: *Ex emendatione, qva sex hemistichiorum modo perpensorum, postremum sic inchoatur*: המחדש, *exsurgit oratio hæc longè aptissima: Renovans, seu qvi renovat juventutem tuam sicut aqvila; supplendum enim est, renovat juventutem suam. Nimirum hæc volucris suam juventutem renovat mutando pennas, h. e. pennarum defluvio, qvibus succrescunt novæ, idqve consveto naturæ ordine, & singulis illius generis avibus communi, atqve adeo singulis avibus, qvæ ob sublimem, pernicem, rapidum rapacemqve volatum, non secus ac aqvila, præpetes nominantur, qvasi προπετεῖς, seu præcipites. Cum diversè*

omni-

omninò sancti vatis juventutem renovaret Deus, proprio & singulari beneficio, quo reliquorum hominum quamplurimos minimè dignabatur afficere &c. Ecce graculus! Brevi verborum συνόψει multa complectar. Nimirum licet innovationem illam simili, ex pennarum aquilæ defluxu, desumpto, illustrari posse inficias non eam; non opus tamen est suppetiis Cappellianis, pro intelligendo sanctissimi Prophetæ oraculo, quippe quod exulante omni nefanda immutatione, rite inspectum, commodum parit sensum, uti monstravimus *supra* § XLI. Tolle ergo *Cappelle*! manum violentam de tabula!

§. XLVII. Antequam autem hinc discedam, notare adhuc volupe est, à variis piissimis animabus Psalmum nostrum CIII. in deliciis habitum esse. Regem Daniæ CHRISTIANUM III. p. m. (licet alii FRIDERICUM II. Danorum Regem nominare prægestiant), per insomnium instantis suæ mortis admonitum esse accepimus. Cumque nocturnam hanc speciem Confessionario pariter atque Consiliariis exponeret, illi phantasiæ illusiones contemnere suaserunt, sed Rex nil nisi beatum præfinito tempore discessum præstolabatur, nihil prius nihil antiquius habens, quam soliloqvium ex Psalmo CIII. instituturus. Hunc Psalmum pie meditati, ac devota animi attentione recitare incepit, & hac ratione, eo, qvo revelatum fuerat, die, primo nimirum Januarii Anni 1599, spiritum suum placidè beatèque exhalavit. Celeberrimus pariter Theologus, D. *Hieronymus Wellerus*, dictum Psalmum solatifluo illustrare suscipiebat commentario, & pias inter meditationes epilepsia correptus, mundo valedicebat Freybergæ in Patria, die 20. Martii an. 1573. ætatis septuagesimo qvarto. vid. B. *Carpzovii* Trost- und Leichen-Sprüche *Tom. II. p.* 403. *Moriatur anima nostra morte justorum*! *Num. XXIII.* 10.

§. XLVIII. Ultimam rabiem *Cappellus* in penultimum exercet *Psalmum*, *Centesimum* nempe *quadragesimum nonum*, ejusque *versum* 5. Hinc ita Dictator perorat *p.* 323: Hebraicus versus sic habet: „ *Exsultabunt sancti gloriosè, & canent super cubilia sua*: hoc enim „ exprimitur duabus postremis vocibus, על משכבותם. Ve- „ rum pro ultima nullus dubito, legendum esse, & à sancto Vate scri- „ ptum fuisse משכבותם, ita ut extremus versus clarè significet: „

„ *prope tabernacula sua.* Non modò autem nullam omninò voca-
„ lem mutat hæc emendatio, at insuper, qvod palmarium est, aut adeò
„ solum alicujus momenti, illa hòc unum audet, qvod postremi in 5to
„ versu vocabuli mediæ literæ ב substituat, inque ejus locum restituat
„ literam נ, qvæ ambæ, haud exigua affinitate, se mutuò referunt
„ aliqvatenus. Ergo Cappelle! sic vis, sic jubes! Quæro ex te, qvali prægnanti causa ductus integram vocem sepultam, aliamque ex cineribus quasi ejus excitatam cupias? Non potes, quin regeras: stet pro ratione voluntas! Vix à risu mihi temperare valui, ubi apud *Buxtorff. in Synag. Iud. Cap. IV. p. m.* 108. legi, illud circumcisionis judaicæ requisitum, qvo Circumcisori benedictionem recitare incumbit, dum novaculam adhuc manu tenet, probari ex *Psalmi præsentis CXLIX. versu* 6. *Exultationes DEI in gutture eorum, & gladii ancipites in manibus eorum.* At lugubria indueret, qvi effrænam Cappelli licentiam mente revolvit, qva pro jubitu ac impudenter pro consueta voce: משכבותם *cubicula illorum*, substituere audet: משכנותם *tentoria illorum.* Excusationis qvidem loco erumpit, nullam se vocalem mutasse, totam rem ad unicam redire literam, cum pro antiqua litera ב, alia saltem, nempè נ, surrogetur. O vanam excusationem! An tibi *Cappelle*! unica litera tam videtur vilis, ut ejus relegationem, ac alterius subrogationem nihil planè in recessu habere autumes? Certè in oculis Salvatoris jucundissimi tam eximio valore unica gaudet litera, ut is ne minimam qvidem omnium, Jod nimirum, perituram esse edisserat *Matth. V.* 18. Rabbinorum pariter veterani Antistites egregium pondus uni tribuunt literæ, ingeminantes: אין בתורה אפילו אות אחת שאין תחריהם גרוליהם תלויהם בה, i. e. *Non datur in lege vel unica litera, à qva non magni montes pendeant.* Et quidni unius literæ inversio multum involveret momenti, qvæ novum planèque diversum sensum gignere apta nata est. Cape unum alterumve hujus rei testimonium! Sic זבח significat: *mactavit*, זבל autem: *habitavit.* Lege itaq; *Gen. XXX.* 20. pro יזבלני *cohabitabit mihi*, יזבחני *mactabit me*, & Leam deprehendes præ gaudio exclamantem: *Hac vice mactabit me Vir meus.* Sic חספא Chaldæorum Filiis notat *lutum*, כספא *argentum.* Nonne duo illa infinitis distant parasangis,

etiam

etiamsi in unica litera duntaxat discrepent? Insigni interim allusioni subservit hæc diversorum horum nominum multifaria harmonia. Qvid enim in rei veritate est כספא *argentum*, nisi חספא *lutum*, vanitas, nihil! Colloca, ô Avare! in aureos argenteosque thesauros fiducia tua, *Job. XXX.* 24. & dic mihi, an in ultimo mortis agone vel unicam solatii guttam tibi comparare queant, dic mihi, annon cunctas pretiositates mundo valedicens, mundo relinquere cogâre, *Job. I.* 21 1. *Tim. VI.* 7. Cogita tandem voces, דבר *pestis*, & גבר *vir*, qvæ unica saltem litera differunt, & confiteberis, ab unica consonante maximos diversitatum montes dependere. Neqve affinitatem, ב inter atqve ג intercedentem, proferas in medium. Immane enim qvantum differunt נקש *illaqveavit*, & בקש *qvæsivit*, it. נתר *Saliit*, & בתר *dissecuit*, etiamsi differentia omnis in litera ב atqve ג consistat.

§. XLIX. Verum magis forsan ponderosa supersunt, qvæ his verbis *Cappellus* complectitur *p.* 124. *sqq.* Illa emendatio, qvam levissima unius literæ mutatione fecimus, sensum fundit longè conveni- „
entiorem, qvam hodierna lectio, qviqve adeo unicè videtur admitten- „
dus. Hæc enim verba: *Sancti canent super cubilia sua*, qvo respiciunt? „
Qvid faciunt ad materiam, totumqve contextum hujus luculenti car- „
minis? Qvid ad res egregiè ibi depictas? Est qvippe evidentissimè hoc „
carmen militare. Sive illud fingas esse Ἐπινίκιον & triumphale, pu- „
blicè celebrandi venerandiqve causa supremi Numinis, à qvo nuper „
Cultoribus suis victoriæ decus datum fuisset, sive (qvod multo verius „
est, & aperte patens ex totâ carminis serie, verbis, Sententia, maximèq; „
ex sex postremis versibus) carmen illud factum fuisse in rem præsen- „
tem, urgentemq;, ad acuendos militum animos, stricto gladio paratorum „
ad pugnam, simulqve DEI laudes canentium, cujus hostes, eosdemq; „
suos, impietate & injustitia ferocientes, confidebant illi divina ope & „
lege, mox à se acerbissimis pœnis, cæde, vinculis domitum iri, cum „
summa gentis sanctæ victricisqve gloria. Nunc igitur, ut modò enar- „
rata ad emendationem accommodemus, qvæ extremo vers. 5to, pro „
על משכבותם *super cubilia sua*, legit על משכנותם *prope* „
tentoria sua, qvæso, qvid cubilibus convenit cum publico hominum, „
musicorumqve instrumentorum cantu, cum bello, strictis ensibus, pu- „
gnâ, cæde, vinculis, ferreis compedibus? At profecto cum his omni- „
bus „

„ bus ad militiam, ad castra, ad bellicam sævitiam cædemqve pertinen-
„ tibus aptissimè commemores tabernacula, sive tentoria. Proximeqve
„ ad verum accedit, in hunc finem usumqve destinatum fuisse hoc car-
„ men, ut data occasione cani soleret à militum instructa acie, stri-
„ ctis ensibus parata ad prælium, sivè ea in castris staret prope tentoria
„ sua, sivè castris egressa, staret tamen adhuc suis tentoriis aliqvan-
„ tum propinqva. Hactenus Dictator! Noli autem qvæso, re-
ceptui canere ante victoriam! Nam (1) nego atqve pernego, qvod emendatio Cappelliana meliorem procuret sensum, qvam qvi ex vero receptoqve vocum positu emergit. Posito nempe, hoc carmen *esse militare, esse ἐπινίκιον ac triumphale*, qvo infinitæ ob victoriam concessam æterno Numini aguntur gratiæ, sane optime huc qvadrat illud Davidis: *Sancti canent super cubilia sua*! Annon enim qvilibet sancti, ac veri Cultores Dei in cubilibus, antequam somno se tradunt, nec non postqvam denuo evigilarunt, gratitudinem suam Benefactori cœlesti testari, ipsius gloriam promovere, ac incessantes, ob victoriæ triumphum donatum grates decernere tenentur? Annon sanctos decet, laudes Dei plenis decantare buccis propter hostium deletionem, patriæ defensionem, pacisqve exoptatæ recuperationem? Sancti itaqve ne noctu qvidem memoriam DEI deponunt in cubilibus, stratisqve suis *Ps.* XLII, 9. XCII, 3. Posito verò Psalmum hunc sistere *formulam precandi, militibus prælium ingressuris, præscriptam*, profectò & sic receptis verbis: *Sancti canent super cubilia sua*, suus constat honos, suumve æstimium. Nonne enim admoneri debebant milites, à solo DEO prosperum ancipitis pugnæ exitum esse exspectandum, atqve præterea à sanctis sonora qvasi voce, in ipsis cubilibus, ob præceptam triumphi certitudinem, summum victoriæ Principem celebrandum esse? Qvin imò præmiserat vir secundum cor DEI v. 4 amplissimam laudum divinarum causam, enarrans, populum suum DEO in deliciis esse, mansvetosqve ornari salute. Qvid mirum itaqve, tanto beneficiorum cumulo sanctos in intimam nominis divini admirationem, pariter atqve celebrationem rapi, ut juxta v. 5. læti exiliant præ gloria, imò in ipsis qvoqve lectis, plenis buccis insignia benignitatis cœlestis monumenta grati decantent? Hac ratione ne qvidem ipsa *Cappelli* hypothesis firmum inventæ suæ emendationi pollicetur fulcrum. (2) Nos interim

qvi-

qvibus religio Christiana curæ est cordiqve, probe conscii, divinum Psalmistam aqvilæ instar altiora petere, atqve de novi Testamenti felicitatibus, per Christi in carnem adventum obtinendis, prophetico vaticinari spiritu, herbam Cappello, carmen militare ex præsenti Psalmo conficientis, haudqvaqvam porrigimus, sed firmissime credimus defendimusqve, dirigi â beato Propheta seriam ad felices Zionis filios, i. e. veræ ecclesiæ alumnos, adhortationem ad laudandum Deum altissimum. Hinc *v.* 1. cœlum sanctorum blande compellare gestit: *Laudate Deum!* Hinc *v.* 2. spiritualem Israëlem, fidei Jacobææ Filios, qvos mox qvoqve *Zionis Filios*, i. e. ecclesiæ incolas, nuncupat, alloqvitur, ut lætentur, lætiqve ovent, propter Regis majestatici accessum, qvem Zacharias indice qvasi digito definiverat, inquiens: *Ecce Rex tuus venit tibi! Zach. IX*, 9, qvemqve sub novi fœderis incunabulis Hierosolymitani ambabus exceperunt ulnis, *Hosanna* lætum accinentes *Matth. XXI*, 4. 5. 9. Hinc *v.* 3. celeberrimum hujus Regis nomen in cœlum tollere jubet, talibus editis lætitiæ signis, qvæ fidium pulsatione ac instrumentorum musicorum harmonico concentu solent exeri. Hinc *v.* 4. divinum in populo suo beneplacitum, omnigenamqve â cœlesti Rege prosperitatem impetratam commemorat. Hinc *v.* 5. pacis Largitorem sanctis propinat tanqvam perennantis voluptatis fontem, cujus memoriam in cubilibus qvoqve, ubi densissimæ exortæ sunt tenebræ, sanctè custodire debeant. Hinc *versibus sequentibus* spiritualem victoriam â crudelissimis evangelii hostibus reportatam, incomparabili delineat penicillo. En hic Reges penetrantissimo verbi divini gladio devictos! Itaqve victoriæ vox resonat in tentoriis justorum *Ps. CXIIX*, 15. 16. Conf. *Eph. VI*, 17. *Ebr. IV*. 12. 2. *Cor. X*, 4. Atqve hæc interpretatio tanta radiat luce, ut ipse *R. Obadias* ad tempora Messiæ respici, ingenuè profiteatur. Hoc supposito, qvilibet, nisi in meridie cœcutire volupe fuerit, videt, Sanctos in ipsis stratis suis de Rege suo omnipotenti, ac Messia incomparabili lætari posse. *Conf. B. Geieri Comment. h. l. Col. m.* 2499. *sqq. B. Calov. Bibl. Illustr. h. l. Tom.* I. *p.* 1125. & qvà Messiæ victoriam, armaqve victoriam promoventia, *Casp. Calvörii Gloriam Christi lib.* I. *cap.* XI. *p. m.* 257. *sqq.* Ceterum de *S. Evergisto* tradit *Leuchtius de Vit. Sanct fol.* 623., illum Coloniæ Gerconis Templum intrasse, ad preces apud sanctorum monumenta fundendum, ac in hæc erupisse ver-

bâ ex *Psalmi* CXLIX, 5. *Exultabunt sancti in gloria*; statim autem echo qvoddam ex sepulchris Martyrum resonasse: *Lætabuntur in cubilibus suis*! Qvo facto prælaudatus Episcopus terrore perculsus, pulvere sepulchrali caput consperſit, domumqve feliciter repetiit. Vid. *Mulleri Biblia in Histor. P. I. hist.* 319. *p.* 282. Fides sit penes Autorem.

EGRESSUS.

HÆc itaqve hactenus contra novum metri Ebraici architectum, ac professum integritatis Scripturæ S. hostem disserere animus fuit. Malui autem Autoris filum seqvi, qvam alio ordine progredi, ut eò felicius periculosas ipsius machinationes indicare, detegere, disjicere valerem. Firmissimè qvidem, anteqvam manum calamo adponerem, mihi proposueram, Bibliomastigæ philologo, *Cappellum* innuo, adjungere Bibliomastigen Mataeologum, *Christoph.* sc. *Seebachium*, qvippe qvi ex visceribus totius *Psalmi* CXLV. patrocinium qværit erroneis suis conceptibus de Diabolorum, damnatorumqve hominum salute aliqvando restituenda, misere lacerando sacrum Scripturæ textum, atqve ad scopum suum adplicando. Sed consilium mutavi, animadvertens, Cappellianis temeritatibus refellendis integram dicandam fuisse dissertationem. Dextram tamen trado, fidemqve, me propediem, si DEUS O.M. vitam viresq; concesserit, pari fidelitate â ματαιολογίας toxico peregregium Psalmum liberaturum esse. Hac vice sufficiat, omnimodæ Scripturæ S. integritati suum honorem illibatum servasse, & novum poëticæ artis conamen succinctum sub examen vocasse.

יהי שם יהוה מבורך לעולם ועד אמן

P. 6. *l.* 30. pro: Arianischen lege: *Arminianischen. p.* 10. *l.* 10. pro: prælegisse, lege: *perlegisse. p.* 15. *l.* 6. pro: tuiotus, lege: *tuitus. p.* 20. *l.* 15. pro: versus, lege: *versis* 5. *Ib. l.* 19. pro: ורברי lege: ורברי. *p.* 28. *l.* 27. pro: poëseos Europeæ, lege: *poëseos, seu Europeæ. p.* 33. *l.* 13. pro: וירחי lege: ויחי *p.* 34. *l.* 8. pro: LXI. lege LXV. *p.* 36. *l.* 17. pro: ותרומות lege: ותרומת *p.* 44. *l.* 27. pro: Adonai lege: *Ladonai p.* 45. *l.* 25. pro: עפו lege: אפו *p.* 48. *l.* 4. post ית insere: שמא. *p.* 52. *l.* 21. pro: הוושת lege: הושט *Ib. l.* 22. pro: קיאה lege: לקנאה &c.

Ad Nob. & Clariss.

DN. SCHULZIUM.

OVæ ingenio industriaqve comprehendimus, ut & aliis innotescant, iis inprimis, qvorum nutu & subsidiis animum operamqve ad studia adplicuimus, ad cathedras procedere publicas & cum commilitonibus in Doctorum conspectu colloqvendo disserendoqve, qvæ comprehendimus, prodere & testari solemus. Id facere Tute omnium optime commodissimeqve potes, Doctissime SCHULZI, qvi non ingenio tantum, qvod indefessa diligentia hactenus excoluisti, polles, sed & eloqvendi id, qvod intra animum Tuum reposuisti, facultatem ita assecutus es, ut non nisi cum delectatione audiaris. Qvam

in

in Filio felicitatem optimi meritissimiqve de Ecclesia sua Parentis toti familiæ tuæ jure meritoqve gratulor, simulqve immotam concipio spem, fore ut aliqvando hæc animi Tui munera, cum ingenua vitæ modestia & in Deum pietate conjuncta, ad Ecclesiæ salutem fructumqve plurimarum animarium impendas. Qvod ut fiat, Deum, omnium bonorum fontem, oro atqve obtestor. Scrib. XX. Febr. M. DCCXII.

JOHANNES FECHT, D.

PEtis abs me, clare docte Domine SCHULTZI vel qvasi testimonium vitæ apud nos hactenus actæ: Propitia E. veritate id affirmare sine fuco qveo, qvod omni conatu, omni nisu eo allabores, ut non meam tantum; sed totius Academiæ imo optimorum omnium Tibi concilies favorem. Auditoria Doctorum sedulo freqventas, de suggestu cum omnium applausu, succurrente Spiritus S. gratia, ferente sic occasione, peroras. Jam & Cathedram Academicam *Præside Viro Sum-*

mo

mè Revèrendo & eruditissimo, Collega nostro in officio Ecclesiastico dexterrimo, ex philologicis & Theologicis disputaturus, consscendis, ita ea in universum agis, qvæ Theologiæ cultorem, Ecclesiæ Scholæqve singulari qvondam emolumento futurum, qvam optime ornant. Adhæc pietatem sine superstitione tibi commendatam habes. Qvapropter T. Claritati de laudabili omni conatu gratulor, DEumqve T. O. M. veneror, ut egregiæ industriæ tuæ, & studiis tuis divinam & largam benedictionem concedat, ac Te bonis bonorum ingeniorum Fautoribus & Promotoribus optimo, qvo decet & fieri potest modo, respective humillime amiceqve commendo. Vale

Scrib. in Musæ. in D. Evcharii in Fastis S. Anno 1712.

T.
JOH. NICOL. QVISTORPIUS, D.

Nobilissimo atqve Doctissimo

DN. SCHULTZEN,

Dn. Respondenti suo eruditissimo S. P. P.

NIhil mihi prius-nihil antiqvius potest esse, qvam vivam alacris ingenii tui imaginem contueri. Propitia certè id veritate testari qveo, pietatem haud infucatam cum ingenti discendi ardore certare. DEum Tuum ex toto pectore veneraris. Post DEum Patronos Tuos suspicis, Præceptores revereris, Amicos omni svavitatis melle recreas. Si qvid indè in caput tuum defluat commodi, scire aves; Certe in Te qvadrat tritum illud; *Virum laude dignum musa vetat*

mori

mori! Tu Vir juvenis aliis ingenui candoris Commilitonibus facem præfers, tuoqve illos exemplo, qvasi qvibusdam calcaribus exstimulas, ut pari alacritate studiorum suorum stadium decurrant. Hinc DEus O. M. Tibi præsidio est, Patroni Te amant, Præceptores laudant, Amici diligunt, eruditionisqve non vulgaris amor immortalem Te reddit. De rarioribus autem animi tui dotibus testantur varia Collegia, qvæ opera haud delassata freqventas, testantur sermones sacri, cum applausu ad populum habiti, testatur præsens disputandi actus, qvo & eruditionis eximiæ apparatum, & eloqvii svavitatem egregiam omnium conspectui expones. Veneror Summum Numen, velit divina gratia clementissimè Tibi, tuisqve adspirare conatibus, cunctaqve & animi & corporis bona paternè indulgere. Ita ex animo vovet Tuus T.

PRÆSES.

Gratulor his ausis: Tua facta secundet jova!
Sic Patriæ atqve Tuis gaudia magna paras.

WJe kan der Höchste doch verlassnen Wayſen rathen/
Indem er wunderlich die Niedrigen erhebt!
Der ewig gute GOtt zeigt Liebes-volle Thaten:
Dieweil Er Vater heist und über selben schwebt
Du weist mein BRUDER wol/ wohin die Worte gehen.
Denn ob die Eltern längst zum Himmel eingeführt:
Hat uns doch GOttes Huld so gnädig angesehen/
Das vier Gebrüder nun an diesem Orth studirt.
Du wirst jetzt wiederum uns allesammt erfreuen/
Und zeigen/was du hie 3. Jahr gesamlet ein.
Ich wünsche Glück dazu/GOtt gebe sein Gedeyen!
So wird der Anfang gut/das Ende rühmlich seyn.

Dieses wolte in aller Eyl hinzufügen/des Respondentis jüngster Bruder/

AUGUSTUS HENRICUS Schultze
Opponens.

00 A 6321

ULB Halle
002 925 397
3

Sb.

Hi. 82

5

בשש

DISSERTATIO PHILOLOGICO-THEOLOGICA,

Exhibens

PSALMORUM CXLV, CIII, CXLIX, ALIORUMQVE

A

CORRUPTELIS VINDICATIONEM NOVÆQVE POESEOS HEBRAICÆ CONSIDERATIONEM

CONTRA RECENTISSIMOS JAC. CAPPELLI CONATUS,

QVAM

ANNUENTE DEO O. M, ET INDULGENTE MAGNIFICO, THEOLOGORUM ORDINE,

SUB PRÆSIDIO

VIRI EXCELLENTISSIMI, SUMMEQVE VENERABILIS,

DN. HERMAN. CHRISTOPHORI Engelcken/

PHILOS. ET SS. THEOLOG. DOCT. LONGE CELEBERRIMI, ET AD ÆDEM JOHANNIS PASTORIS VIGILANTISSIMI,

DOMINI PRÆCEPTORIS, PATRONI, AC OLIM HOSPITIS SUI DESIDERATISSIMI,

ET QVOVIS FILIALI PIETATIS CULTU ÆTERNUM DEVENERANDI,

IN ILLUSTRIS ACADEMIÆ ROSTOCHIENSIS ACROATERIO MAXIMO, HORIS ORDINARIIS,

AN. M DCCXII. DIE 2. MARTII,

PUBLICÆ PLACIDÆQVE ERUDITORUM CENSURÆ

SUBMITTIT

GEORG. ERNEST. Schultze/

CUPPENDINENSIS MEGAPOLITANUS.

ROSTOCHII, Typis Joh. Weppl. SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.

Universitäts- und Landesbibliothek Sachsen-Anhalt
urn:nbn:de:gbv:3:1-275100-p0083-5